(Liturg.)
450

Gerbert
~~1111~~
Liturg.
450.

Ersatz 23.X 1929

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

DE DIERUM FESTORUM NUMERO MINUENDO, CELEBRITATE AMPLIANDA.

AUCTORE
P. MARTINO GERBERT,
Monacho O. S. B. e Congr. S. Blasii in Silva nigra,
Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,
S. Q. R. I. Principis & Episcopi Constant. &c. &c.
Theologo.



CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Typis San-Blasianis. 1765.

Senſi ſæpius, & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque ſcripturæ ſanctæ auctoritate, neque univerſalis eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum poſſunt terminum pervenire (tantum quia ſubeſt qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem ſuam, quo remotiorem a ſuis, eo doctiorem factam putat) tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.
S. August. Ep. 118. ad Januar.

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MÜNCHEN



PRÆFATIO.

Facile temeritati mihi tribui possit, quod materiam de minuendo dierum festorum numero tractandam sumserim; quæ & in se aliquid irreligiosi habere, & multo altioris indaginis, sublimioris subsellii videri queat. Imprimis enim præsentis causæ cognitionem jure sibi vindicant, qui ecclesiæ gubernacula tenent; atque adeo velut e specula prospiciunt, quid in hac causa pronunciandum sit, re non solum secundum seipsam præcise considerata, verum etiam quid pro nostro re-

rum ſtatu nunc fieri expediat. Hoc ego integrum, ut debui omnino, in medio reliqui, totus in generali cauſæ diſquiſitione detentus. Ad quam ſuſcipiendam, atque de ea ſententiam aperte exponendam animum adjecit tot vigilantiſſimorum præſulum, atque imprimis ſummorum pontificum exemplum, qui minime religioni duxerunt in feſtorum numero anteriorum legum immutationem facere, ſatis gnari: *ita ſæpius uſuvenire, ut temporum varietas* (verba hæc ſunt Lexovienſis epiſcopi, & S. R. E. Cardinalis JOANNIS LE VENEUR in ſua ad ſynodalia ſtatuta præfatione) *conſtitutionum varietatem requirat, quæ etſi, dum conderentur, ſanctiſſimæ eſſent, temporis tamen lapſu, ſuccreſcente hominum malitia, neceſſario veniunt abrogandæ.* Quam multæ vero, & neceſſariæ in præſenti cauſa fuerint, ſintque epiſcopis cauſæ, ut conſtitutionum variationem inducerent, res

ipſa

ipſa, quæ in cujusque oculis verſatur, loquitur. Quotusquisque eſt, qui non ſatis ſe perfunctum putet officio ſanctificandi dies feſtos, ſi miſſæ ſacro ſemel affuerit, cum tamen non ſine cauſa utique diſtinctum eccleſiæ præceptum ſit, his diebus miſſam audiendi, eosque ſanctificandi? Deinde tantus contemtus, & neglectus feſtivorum dierum undique obtinet, tam male tempus illud divinis officiis dicatum impenditur, ut recte illud etiam in chriſtiana feſta jactari poſſit, quod RUTILIUS in Judæorum ſabbatum cecinit:

Septima quæque dies turpi damnata veterno
Ut delaſſati mollis imago DEI.

Atque paſſim videntur homines potius illam ſycophantæ LUCIANI legem in feſtis tranſigendis ſervare, quam tot canonum eccleſiaſticorum ſanctiſſima ſtatuta; *Ne quid*, ſciſcit ille, *intra feſti tempus agito, neque publicum, ne-*

que privatum, nisi quæ ad lusum, quæ ad voluptatem, animique oblectationem pertinebunt. Quæso te, quam multi, proh dolor! e christianis sic sibi dies festos agendos putant, quam parvus eorum est numerus, qui tantum festorum numerum labentibus ecclesiæ sæculis primum paulatim ingruentem, ea, qua oportet, peragant sanctitate. Vigilantiæ præsulum, ac curæ pastoralis interest, istis abusibus obsistere, eosque tollere ac emendare, si suo deesse officio, atque crimen commissi gregis participare nolint. Aut si id effectum ire desperant, reliquum est, ut tot collegarum suorum, atque imprimis Romani pontificis consilium secuti, pauciora festa, majori religione observanda constituant. In horum itaque sinum depono, quæ animo meo insidet opinio: quam si ineptam judicant, utantur jure suo, atque errorem dedoceant: in quorum ego non solum

lum manibus, pedibusque ibo ſententiam, ſed etiam correctionem beneficii loco habebo: gnarus epiſcopi arbitrium unice hic exſpectandum. Αὐτὸς γάρ, utar verbis canonis apoſtol. 39. ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτησόμενος. Et ut S. IGNATIUS ad Smyrnæos ſcribit, μηδεὶς χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τὶ πράσσειν τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. In eandem rem S. CYPRIANUS epiſtola quadam, *Per temporum*, inquit, *& ſucceſſionum vices, epiſcoporum ordinatio, & eccleſiæ ratio decurrit, ut eccleſia ſuper epiſcopos conſtituatur, & omnis actus eccleſiæ per eosdem præpoſitos gubernetur.* Hac mente fueram, dum hæc ſcripſi: nihil ergo præjudico, ſed judicium exſpecto: quidquid pro theologi munere, quod apud Emin. Card. DE RODT, epiſcopum Conſtantienſem immeritus obeo, hisce complexus ſum pagellis.

SYL-

* * *

SYLLABUS CAPITUM.

CAPUT I.

Festorum observationem pro temporum, & maxime locorum varietate, variam esse posse, prout visum fuerit ecclesiæ pastoribus.

CAPUT II.

De numero, & celebritate festorum, variisque eorundem mutationibus narratio.

CAPUT III.

Quatenus a quatuor fere sæculis in diminuendo nimio festorum numero allobaratum sit.

CAPUT IV.

De numero & modo abrogandarum feriarum.

CAPUT V.

Quædam vetera monumenta partim ad illustrandam doctrinam a nobis propositam, partim ad illius æquitatem, atque cum antiqua praxi consensionem commonstrandam.

DE



DE DIERUM FESTORUM NUMERO MINUENDO, CELEBRITATE AMPLIANDA.

CAPUT I.

Festorum observationem pro temporum, & maxime locorum varietate, variam esse posse, prout visum fuerit ecclesiæ pastoribus.

I.

Quemadmodum nihil est admodum in humanis rebus constans, stabile, & perfectum, quod non pro humanorum morum, ac studiorum ratione variam induere possit faciem,

Usus, & leges ecclesiasticæ pro temporum, & locorum varietate

variæ esse possunt. faciem, atque identidem mutari; ita pro temporum, locorum, aliarumque circumstantiarum diversitate, aliæ, nec uniusmodi esse possunt humanæ leges, & statuta, quibus bonus ordo, & moderatio societatum vergat, & contineatur: neque hoc solum in civili & profano reipublicæ statu locum habet, verum etiam in christianæ ecclesiæ ornatissimo, ac pulcherrimo corpore, pro vario rerum situ, varietas aliqua opportuna, & commoda venit: non in illis equidem, quæ a DEO ipso sunt constituta, quando ecclesiam sibi sponsam formavit; sed quæ deinceps ab ejus rectoribus inventa & instituta sunt. Quæ si pro tempore salubria & utilia fuere, fieri potuit, ut deinceps nociva redderentur, aut saltem primævam utilitatem non amplius referrent. Possent in hujus rei confirmationem sexcenta ex antiquitatibus christianis exempla proferri; imo vero pronum esset a proximis sæculis comprobare, siquidem res in propatulo posita non esset. Pauca tamen in medium producam ejus generis, unde simul pateat, quid mutationi subjaceat, quidve ab ea abhorreat. Nihil sacratius in re christiana Sacramentis, nec ea, utpote a solo DEO ortum trahentia humanis subsunt voluntatibus,

bus, aut nutui: tamen cum illorum usus, & administratio ecclesiæ relicta sit, non uno modo semper sunt usurpata: baptismus principio adultis plerumque, ac plena ratione utentibus, nisi necessitas aliud flagitarit, statis Paschatis, & Pentecostes diebus, quibusdam etiam in ecclesiis Epiphaniæ festo, est collatus; hodie iste mos fere obsolevit, idque congruis rationibus factum. Tria Sacramenta Baptismus, Confirmatio & Eucharistia simul sunt administrata, atque Eucharistia etiam infantibus sub vini specie concessa, quemadmodum utraque species passim communicantibus indulta, secus ac hodie fit. Notæ sunt etiam epulæ illæ primorum Christianorum, quas agapas vocabant, quarumque jam abusum PAULUS in Corinthiis notaverat, ob quem deinceps in desuetudinem abierunt; ut aliæ quamplurimæ ecclesiasticæ consuetudines & leges. Neque hoc solummodo usuvenit pro diversis temporum articulis: iisdem etiam temporibus in ecclesiis diversi usus reperiuntur, de quibus jam olim JANUARIUM interrogantem S. AUGUSTINUS (*a*) edocuerat: *Ut quæ non sunt contra fidem, neque bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris,* a

(*a*) Epist. 11.

ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.

Festa pro temporum, & præcipue locorum diversitate variasse.

II. Duæ hæ usuum, ac consuetudinum permutandarum causæ, & occasiones, sive ex temporum, sive ex locorum circumstantiis, ambæ vel maxime conspicuas se præbent in præsenti, quod pertractamus, de festorum numero, & celebritate, argumento. *Mirum videri non debet*, verba recito statutorum Antisiodorensium (*a*) an. 1552. *si pro temporum, rerum & negotiorum varietate, variantur quoque humana statuta: præsertim quando id aut ingens necessitas, aut evidens utilitas exposcit. Pia quidem intentione olim ab antecessoribus nostris statutum est, plerosque dies festos in diœcesi nostra coli, celebrarique debere: quorum abrogationem utilem, & necessariam esse hodie, nemo, qui sanæ mentis sit, non dixerit.* Fieri tamen potest, ut non æque in omnibus diœcesibus utilis sit feriarum ad minorem numerum revocatio; haud aliter, atque in omnibus ecclesiis eorundem festorum celebrationem haberi non expedit: id enim ex praxi primorum sæculorum indubitatum

a

(*b*) Stat. Antis. 48.

tum est, pauca fuisse festa omnibus communia, & quidem Sanctorum vix ulla: Colligitur hoc ex commentariis D. HIERONYMI nomine Vulgatis ad Galatas cap. IV. fere festa martyrum fuisse celebrata in illis tantum ecclesiis, ubi martyria perpessi ac sepulti sunt, aut alio nomine singulari jure ad ecclesiam aliquam pertinebant. Expresse etiam hoc sancitum habetur in canone Africano (*a*) relato de Consec. Distinct. 1. c. 26. *Omnino*, verba illius habent, *nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut reliquiæ certæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.* Hujus rei antiquissima habentur in actis primorum martyrum monumenta, ex quibus constat, fideles in loco, ac die martyrii super martyrum tumulos conventus celebrasse, epulas, & donaria contulisse: qui usus tamen, quod in convivia, & comessationes deviarit, postea sublatus est. Illud vero suapte sponte ad præsentem materiam fluit, festa non in omnibus ecclesiis ad amussim eadem, ac æqualia esse debere, neque hanc conformitatem esse ad ecclesiæ ornatum ac decorem omnino necessariam. Quænam vero universim per ecclesiam

(*a*) An. 424.

2 recepta fuerint festa, ex AUGUSTINO (*a*) intelligere licet. *Illa autem*, ait, *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia catholica saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri; sicuti quod passio Domini, & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, ecclesia.* Alia liberiora ad observantiam, nec communi omnium ecclesiarum usu terenda, quæ sint, idem egregie exponit: *Alia vero*, inquit, *quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant Sabbatho, alii vero non, alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico: alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantum, & Dominico. Et si quid aliud hujusmodi adverti potest; totum hoc genus liberas habet observationes.*

Non tamẽ eorum celebratio libera est, sed pars cultus divini.

III. Sed hæc non eo accipienda sunt, ac si hujusmodi res plenæ uniuscujusque

(*a*) Epist. 118. ad JANUAR. nunc 54. pag. 124. N. 2. Ed. Paris. 1689.

que relictæ ſint libertati; ne errori Novatorum favere videamur, qui in tantum, neſcio quam libertatem chriſtianam depereunt, quæ eorum conſcientiam nulla lege conſtringi, ligarique ſufferat: eam vero in hac de feriis materia eouſque extendunt, ut nec diem dominicum, prout late proſequitur FECHTIUS Exercitatione de Sabbato, alicui obligationi ſubdant: imo ex eorum catechiſmis patet, eos feriari *quietis corporalis cauſa, & neceſſitatis gratia*, quæ ſunt majoris catechiſmi apud BOEHMERUM (*a*) verba, *Quam & natura docet, & exigit, nimirum communis multitudinis gratia, ſervorum, ancillarum, qui per totam hebdomadam laboribus ſervierunt, ut & ipſi diem habeant, qua ab operibus reſpirantes ſemet ex labore reficiant, & corpora feſſa quiete firmare queant.* Quidquid vero religioſi in feriis ſuſpiciunt, in id redit, *ut tempus ſumatur, quo conveniant ad audiendum, & tractandum DEI verbum, & deinceps DEUM*, ut idem catechiſmus habet, *hymnis, pſalmis, canticis & precibus laudemus. Sed hoc*, pergit, *apud nos non perinde certis temporibus, ſicut apud Judæos, alligatum eſt, ut ei rei hic, aut ille dies dictus, aut præſtitutus ſit: nullus enim dies altero melior, & præſtan-*

(*a*) Jus eccleſ. L. II. Tit. IX.

tior &c. Hæc eſt Novatorum de feriarum ſanctitate opinio, earumque libertate, ad quam melius exhibendam dudum HOSPINIANO in votis fuit, ut quotidie conventus celebrentur, ut ſic omnis dierum diſcretio abſit. Errant iſti, ſed levius Petrobruſianis, qui ut ex *c.* 5. *L. III. Vitæ S. Bernardi* conſtat, feſtos dies omnes ad cæremonias Judaicas ablegabant, atque idcirco nullas ferias agendas Chriſtianis exiſtimabant. Nobis vero Catholicis non ſolum feſtorum ſolemnitas placet, cordique eſt, verum etiam ferias pro neceſſaria cultus divini parte ſuſpicimus, quamvis tantam eorum multitudinem non probemus, qui nos a neceſſariis hujus vitæ negotiis impediat. *Non vos,* verba ſunt S. CHRYSOSTOMI (*a*), *a civilibus abſtrahe negotiis, ſed ex ſeptem his diebus, ut unum tantum communi omnium noſtrum Domino conſecretis, rogo.* Dies ergo omnino dominica Sabbato ſuccedens divino ſervitio tribuenda, aliæque etiam feriæ DEI cultui conſecrandæ: pie etenim Sanctis præ-

(*a*) Hom. III. in JOAN. Οὐχ ὑμᾶς τῶν πολιτικῶν ἀφέλκω πραγμάτων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἑπτὰ τούτων ἡμερῶν μίαν ἀξιῶ τῷ κοινῷ πάντων ἡμῶν ἀναθεῖναι δεσπότῃ.

præcipuis festi dies dedicantur, quamvis non eadem necessitate fiat. Ut vero hæretici norint, qua libertate excusso jugo servitutis Judaicæ Christiani Festorum, haud secus ac aliarum observationum præcepta impleant, non id meis, sed LEONIS M. verbis edisseram. *Prædicationem nostram dilectissimi*, sic ille sermonem quartum de jejunio septimi mensis orditur, *familiaris vobis adjuvat consuetudo, & ratio temporis commendat officium sacerdotis, ut ne onerosum videatur, aut arduum, & quod præceptum exigit legis, & devotio temperat voluntatis. Quæ cum in unum gratia DEI auxiliante conveniunt, non litera occidit, sed Spiritus vivificat: ubi autem Spiritus DEI, ibi libertas, quæ legem non timore exequitur, sed amore; obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. Cum ergo vos ad quædam, quæ etiam veteri testamento instituta sunt, cohortamur, non Judaicæ vos observantiæ subdimus.*

IV. Quinam vero stati ejusmodi esse debeant dies, præter eos, qui vere totius ecclesiæ dicuntur (cujusmodi vel ab apostolica traditione, aut universali consensu ubique servantur) hoc a legitimis ecclesiæ Pastoribus suscipiendum est. Penes episcopum cujusque diœcesis festorum ordinatio est, ac

summum Pontificem.

Neque jus ordinandi, indicendique ferias ad summam potestatem civilem pertinet, ut contendunt Novatores, ac novissime BOEHMERUS suo in *Jure ecclesiastico Protestantico Lib. 2do Tit. 9. de Feriis.* Nunquam jus, & potestas ambigua fuit episcopis in suis diœcesibus festorum ordinem ac numerum constituendi, quam auctoritatem episcopis tam firmam esse
2 voluit Concilium Tridentinum (*a*), ut dies festos, quos in diœcesibus suis servandos episcopi præceperint, ab exemtis omnibus, etiam regularibus servandos decreverit. Id quod nostro hoc ævo studiose considerandum: & cum videamus, unum episcopum in sua diœcesi numerum festorum coarctandum censere, altero omnia in antiquo more relinquente, neutiquam offendi inde quisquam debet, quivis enim suo utitur jure. Quare nec Romana ecclesia, postquam jam consultum ac proficuum judicavit minuere feriarum multitudinem, aliquid reliquis episcopis præscribit: neque antequam hoc consilium placuisset, episcopis inde a trecentis, & quod excedit, annis passim in suis diœcesibus festa ad minorem numerum redigentibus, litem movit: quin imo Cardinali d'OSSAT Regis Galliarum nomine

(*a*) De Regul. c. 12.

ne olim de hac re ex Pontifice ſciſcitanti CLEMENS VIII. aperte edixit, ſibi minime mentem eſſe epiſcoporum jus quidquam hac in re arctare, ne libere, quod e re eccleſiarum ſuarum ſit, agant. Uti videre eſt apud THIERSUM in *tr. de Feſtorum dierum imminutione c.* 42. BENEDICTUS XIV. (*a*) *de Servorum DEI Beatif.* teſtatur, nomine HENRICI IV. Galliæ Regis Cardin. d OSSAT Summo Pontifici CLEMENTI VIII. expoſuiſſe, feſtorum de præcepto numerum adeo excreviſſe, adeoque hominum ejus regni numerum propter bella fuiſſe imminutum, ut expedire videretur, nonnulla delere feſta, & principaliora dumtaxat in honorem Domini, Beatiſſimæ Virginis, apoſtolorum, & aliquorum Sanctorum obſervanda demandare; uti colligitur ex epiſtola ejusdem Cardinalis 170. *L. III. edit. anni* 1708. Addit BENED. XIV. quid tunc actum, ſeu decretum fuerit ignorari: imo ex citata epiſtola potius deſumi, Summum Pontificem noluiſſe petitioni aſſenſum præſtare, prout etiam adnotavit THOMASINUS in *tr. de Feſtis, Lib. I. c.* 11. *n.* 15. Idem tamen Pontifex in diſſertatione de feſtorum de præcepto imminutione, quæ loco cit. ſubjun-

(*a*) Lib. IV. P. II. c. 15. n. 6.

jungitur in edit. *Oper. Roman.* (*a*) 1749. ex *Epist.* 181. ejusdem Cardinalis refert, ad suas preces jussu christianissimi Regis CLEMENTI P. VIII. propositas pro festorum diminutione in Galliæ regno, responsum fuisse, id potissimum ad episcopos pertinere: ac subdit: *Non fuit tamen declaratum utrum in synodo, an extra synodum id statuere possent: num consilium capituli & consensus requireretur, an non; ut apud ipsum Thiers ostenditur c. 42. p. 245. & apud Guyet lib. II. de fest. propr. c. 18. quæst. 6. Sed cum ea quæ Cardinalis de Ossat cum Clemente VIII. agere cæperat, ad finem non fuerint perducta, ut testatur Thomasinus in suo tr. de Festis lib. I. c. 11. n. 15. sicut etiam nos ipsi observavimus de Canoniz. Lib. IV. P. II. c. 15. n. 6. pluribus deinde efflagitantibus episcopis Summus Pontifex Urbanus VIII. ejusdem rei examen resumsit, ac de ea constitutionem promulgavit, quæ in Bullar. tom. V. 291. numeratur, in qua singula festa, quæ observari omnino debent, recensentur; ideoque facile intelligitur, nullum episcopum, nisi nova summi Pontificis auctoritas intercedat, posse ab eadem constitutione recedere, indecorumque esse sedi apostolicæ, rem, de qua non solum aliquid cognovit, verum etiam decrevit, post præfatam constitutionem episco-*

(*a*) T. IV. p. 685.

ſcoporum arbitrio committere. Quamobrem cum Pariſienſis archiepiſcopus Perefixe edictum anno 1666. promulgaſſet, una cum indice feſtorum dierum, quos in ſua diœceſi celebrari mandabat, nonnullosque in Urbani VIII. conſtitutione deſcriptos abſtuliſſet; & cum Alexander VII. per ſuum in Galliis nuncium Roberti ſuas chriſtianiſſimo Regi detuliſſet querimonias, ipſasque iterum innovaſſet Clemens IX. per nuncium ſuum Bargellini; anno demum 1668. ab eodem Pariſienſi archiepiſcopo novus feſtorum index omnino Urbani VIII. conſtitutioni cohærens fuit in lucem editus, ut Berninus memorat tom. 4. hiſt. de hæreſ. c. 6. p. 67. Ex quibus licet deduci poſſit nullum debere epiſcopum poſt conſtitutionem Urbani peculiari auctoritate feſtorum dierum numerum in ſua diœceſi præſcribere; non tamen inde conſequitur poſt Urbani conſtitutionem in Pontificis poteſtate non eſſe, feſtos dies vel in aliquibus ſolum diœceſibus; vel in aliquo regno, imo in eccleſia univerſali augere juxta exempla, quæ nos ipſi produximus cit. lib. IV. de Canoniz. P. II. c. 15. n. 10. & 11. aut cum juſtæ adſint cauſæ eorum numerum diminuere, ſive nova accedente conſtitutione, ſive normam auctoritatemque epiſcopis demandando, qua id exequi poſſint, cum de diſciplina agatur, quæ ex ſe variabilis eſt, diverſasque ſemper paſſa eſt vi-

ces.

ces. Atque hinc est, quod post reformationem in ecclesiis suburbicariis, atque alibi particulariter factas, cæteris nihil legis imponant Pontifices. Nimirum utuntur summi Pontifices illa GREGORII M. (*a*) regula, qui, *mihi*, inquit, *injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo* Idemque alio loco (*b*), *si sua*, ait, *unicuique episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi, ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur.* Episcopi ergo cujusque diœcesis in hac re standum est judicio, sive ille servandum numerum feriarum censuerit, sive diminuendum. Id quod initio statim monere visum est, ut qua mente, quæ deinceps dicentur, exposita sint, & explicata pateat, plena nimirum proprii judicii delatione, subjectioneque. Solummodo enim, quid alii in hac re aut fecerint, aut senserint, patefacio, nihil præjudico: inculcato S. IGNATII monito, quod ipse Smyrnensibus dedit sua ad eosdem epistola: *Omnes episcopum sequimini, ut JESUS Christus Patrem.* Quare mihi semper illi improbandi sunt visi, qui aliis etiam in rebus, quibuscunque potuerunt, episcopi obedientiam subterfugerunt: cum illi longe

(*a*) L.II. Indict. 10. Ep. 37. nunc 72.
(*b*) Id. L. XI. Indict. 4. Ep. 32. nunc 37.

longe ſapientius egerint, quibus cum jura etiam, & exemptiones haud vulgares faverent, iis tamen parciſſime uti conſueverunt, ordinis decorem in regimine, & hierarchia eccleſiaſtica attendentes.

CAPUT II.

De numero, & celebritate feſtorum, variisque eorundem mutationibus narratio.

I.

Ad illuſtrandum præſens, in quo verſamur, argumentum, plurimum confert ſedula & accurata conſideratio, quæ quovis tempore feſta, & qua ratione acta ſint, enarratio. Ordo rei poſcit, ut a primis eccleſiæ ſæculis initium faciamus; quamvis nimis pauca ſint, quæ de hac re veterum habent monumenta, nec ea omnia hic referre inſtituti noſtri ratio patiatur, alio intenta. Primo conſideranda venit dies ſingulis ſeptimanæ curriculis recurrens primis ſæculis ob memoriam Reſurrectionis Dominicæ alicubi Sabbato Judæorum ſuccedens, alicubi etiam accedens, uti fere toto in Oriente. De conventi-

Diei Dominicæ feſtivitas cum Chriſtianiſmo exorta.

bus

bus ἐν τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, in una die
ſabbatorum, actus apoſtolorum loquun-
a b tur (*a*), ſimilis apud PAULUM (*b*) habetur
phraſis. Quod congrue utique interpre-
tantur primam ſabbati, ſeu hebdoma-
dis, quæ eſt Dominica noſtra: de qua
loco citato habent actus, conveniſſe fi-
deles ad frangendum panem diſputante,
ſeu perorante PAULO uſque ad mediam
noctem: PAULUS vero Corinthiis præ-
cipit: *Unusquisque*, inquit, *veſtrum apud ſe
ſeponat recondens, quod ei beneplacuerit,
ut non cum venero, tunc collectæ fiant.* Un-
de, nec ipſo BEZA, aliisque Novatori-
bus diffitentibus, recte conjicitur, pri-
mam hebdomadis diem collectis & con-
ventibus fidelium deſtinatam fuiſſe: qua
c de re perſpicuus extat JUSTINI (*c*) lo-
cus,

(*a*) Act. XX. 7. (*b*) 1. Cor. XVI. 2.

(*c*) S. JUST. Apol. II. Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ· εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, προεσῶς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων, μιμήσεως, ποιεῖται· ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν παυσαμένων ἡμῶν

cus, unde patet, eum morem apoſtolicum ſemper in eccleſia conſervatum eſſe. *Solis*, inquit, *qui dicitur die, omnium, qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit: & commentaria apoſtolorum, aut ſcripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quieſcente, præſidens orationem, qua populum inſtruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc conſurgimus omnes communiter, & precationes profundimus: & ſicuti retulimus, precibus peractis panis offertur, & vinum & aqua: & præpoſitus ititidem, quantum pro virili ſua poteſt, preces, & gratiarum actiones fundit; & populus fauſte acclamat Amen. Et diſtri-*

 butio

τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος, καὶ ὕδωρ· Καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως, καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς δὲ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες συνέλευσιν ποιούμεθα. ἐπειδὰν πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος, καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε· Καὶ ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.

butio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per diaconos mittitur . . Solis autem die communiter omnes conventum agimus: quandoquidem is primus dies est, quo DEUS tenebris, & materia versa, mundum effecit, & JESUS Christus Servator noster eo die a mortuis resurrexit. Hic ipse
a S. JUSTINUS Martyr (*a*) alio loco hunc morem derivat ex supra allatis scripturæ locis de una sabbatorum die. *Una enim,* inquit, *sabbatorum, prima manens dierum omnium juxta numerum, spatiis rursum dierum omnium in circulum decursis octava vocatur, & prima, sicut est, manet.* Eandem interpretationem etiam
b S. AUGUSTINUS (*b*) adhibet. *Una sabbati,* inquit, *tunc appellatus dies, qui nunc dominicus appellatur, quod in evangeliis apertius invenitur. Nam dies Resurrectionis Domini prima Sabbati a Mathæo, a cæteris autem una Sabbati dicitur, quem constat eum esse, qui dominicus postea appellatus est.* Occurrit enimvero hæc appellatio jam in Apocalypsis JOANNIS *cap.* I. 10. ubi se apostolus die dominica raptum in spiritu fuisse narrat, unde facile intelligitur, jam vulgarem, omnibusque notam hanc fuisse appellationem.

(*a*) In Dial. cum Tryph. p. 260.
(*b*) Epist. 86. nunc 36. ad Casul.

nem. Id quod ab aliis etiam jam est observatum.

II. Diei dominicæ, ut jam innuimus, passim addita dies Sabbati legitur, in Græca equidem ecclesia; nam in Latina, excepta Mediolanensi, Africana & aliis nonnullis ecclesiis, dies jejunii erat, id quod manifestum facit, eum festum non fuisse habitum. Id gravius reprehendit in Oriente S. IGNATIUS (*a*) in epistola ad Philippenses, *Si quis*, inquit, *aut Dominica, aut Sabbato jejunet, excepto uno Sabbato, is Christum occidit.* Ex TERTULLIANO (*b*) autem constat, in Africa, ac alibi etiam fortassis Sabbatum jejunio solutum fuisse: *Sabbato*, inquit, *nunquam, nisi in Pascha, jejunandum est.* Idem repetit libro quarto adversus MARCIONEM. ATHANASIUS (*c*) etiam sabbatini festi meminit. *In die*, inquit,

De Sabbati festivitate apud primos Christianos, ac etiam Ethnicos.

a

b

c

(*a*) Epist. ad Philip. Εἰ τις κηριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, χρίστοκτόνος ἐστίν.

(*b*) De Jejuniis.

(*c*) Homil. de Semente: Ἐν ἡμέρᾳ σαββάτου συνήχθημεν, ὁ νοσοῦντες Ἰουδαϊσμόν· οὐ γὰρ ἐφαπτόμεθα σαββάτων ψευδῶν· παραγεγόναμεν δὲ ἐν σαββάτῳ τὸν κύριον τοῦ σαββάτου Ἰησοῦν προσκυνήσαντες.

quit, *Sabbati congregati sumus, non quod Judaismi morbo laboremus: nunquam enim falsa Sabbata vel attigerimus, sed ad Sabbatum accessimus, Dominum Sabbati JESUM adoraturi.* Et TIMOTHEUS (*a*) ex successoribus ATHANASII apud BEVEREGIUM, *Necessario*, ait, *Sabbato, & die dominico abstinere oportet, quod spirituale sacrificium in eis Domino offeratur.* Eadem non semel in constitutionibus apost. occurrunt: & ZONARAS ἡμέρας τῶν ἑορτῶν in *Canone LIII. Apost.* itidem *de Die Sabbati & Dominica* exponit: quin immo fuerunt, suntque etiam nostris temporibus, qui diem Sabbati inde a mundi primordiis cultui divino sacrum fuisse testantur, suffulti obscuris quibusdam locis HESIODI, HOMERI, LINI, CALLIMACHI, LUCIANI, AGELLII, SUETONII, CENSORINI, OVIDII & TIBULLI: ex Judæis vero testimoniis ARISTOBULI, JOSEPHI, PHILONIS: ex Christianis, CLEMENTIS *Alexandrini*, THEOPHILI *Antiocheni*, imo etiam TERTULLIANI, qui tamen aperte quodam loco edicit, Ethnicos non nisi annua festa celebrare.

Vide

(*a*) Epist. Canon. Can. XIII. Ἐξ ἀνάγκης τὸ σάββατον καὶ τὴν κυριακὴν ἀπέχεσθαι δεῖ, διὸ τὸ ἐν αὐταῖς τὴν πνευματικὴν θυσίαν ἀναφέρεσθαι τῷ κυρίῳ.

Vide de hac re pluribus SELDENUM *de Jure Nat. & Gent. juxta Discip. Hebr. L. III. a cap.* 12. *usque ad finem.* De hoc enim quidquid sit, certum est, Sabbatum diu apud Christianos fuisse sacrum cum Dominica, ut GREGORIUS *Nyssenus* (*a*) occasionem inde arripuerit, eos duos fratres, *ac pulchram bigam Sabbati, & Dominicæ* nominandi. Deinde a Concilio Laodiceno (*b*) hæc differentia inter diem Dominicum & Sabbatum constituta est, ut Christiani Sabbato non otiarentur, sed operibus libere vacarent, quod signum est, fuisse diem Dominicum celebriorem. Est ergo Canon XXIX. *Quod non oportet Christianos judaizare, & in Sabbato otiari, sed ipsos eo die operari: diem autem Dominicum præferentes otiari, si modo possint, ut Christianos. Quod si inventi fuerint judaizantes, sint anathema apud Christum.* Provocatur ad hunc canonem in allocutione *de Sabbato* post Conc. Liptinense (*c*): *Magnificentissimi*

a

b

c

(*a*) Καλὴν τὴν συνωρίδα τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς.

(*b*) C. 29. Ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς Ἰουδαΐζειν, καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν, ἀλλὰ ἐργάζεσθαι αὐτοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ; τὴν δὲ κυριακὴν προτιμῶντας, εἴγε δύναιντο ὡς χριστιανοί.

(*c*) T. I. Conc. Germ. p. 53.

Patres nostri apud Laudiciam Phrygiæ congregati memores salutis nostræ, multa censuerunt, quæ nos observare convenit. Inter cætera, filii charissimi, de Christianis, qui sabbatizare, vel juxta quemdam modum judaizare noscuntur. Quia sub anathemate decreverunt, qui eos imitari noscuntur. Nam & nos vobis de eo insinuare curamus. Qui baptizati & regenerati estis in Christo, ecce facti estis membra Christi. Ammonemus vos, timemus vobis, non tantum ab hæreticis, sed etiam a perfidis Judæis, qui vos cupiunt judaizare, & otiari in Sabbato; ut nomen Christi, quod accepistis, in vobis maculetur. Sed ita agendum est secundum Patrum definitionem, qui nobis jubent operari in Sabbato, secundum Domini sententiam, qui in evangelio ait: Sabbatum propter hominem factum est &c. Induci ergo se passi sunt quidam ex Christianis ad feriandum Sabbato; sicuti etiam tunc Paganismi quædam reliquiæ erant, quæ in indiculo superstitionum & paganiarum, eidem concilio Liptinensi subjecto damnantur inter alia *de feriis, quæ faciunt Jovi vel Mercurio.* Cujus superstitionis ad hodiernum usque diem quædam supersunt vestigia. S. GREGORIUS M. (*a*) in epistola ad Romanos cives agit contra

quos-

(*a*) Lib. XIII. Ep. 1.

quosdam perversi spiritus homines, qui *prava aliqua & sanctæ fidei adversa* seminaverint, *ita ut die Sabbati aliquid operari prohiberent.*

III. Alia inde a primordio Christianismi præter diem dominicam annua fuere festa, cujusmodi celeberrimum Paschatis, cujus etiam in scripturis mentio habetur: cui connexum Pentecostes festum, quod S. EPIPHANIUS intelligi putat, quando in actis apostolorum *c.* 20. 16. PAULUS festinasse refertur, ut, si fieri posset, die Pentecostes esset Hierosolymis: *Festinabat*, ait, *ut celebraret Pentecosten Hierosolymis. Quam vero Pentecosten ageret Paulus, nisi prius Pascha obiisset?* Quod ad observantiam adhuc Judaicam referri potest, ritu christiano mutatam, non tam ab apostolis quam ipso Spiritu S. qui cum complerentur dies Pentecostes, super apostolos est effusus. Alia antiquata sunt veteris testamenti festa: quæ, ut hoc obiter notem, nec multa adeo erant, nec illis alia successu temporum facile ex peculiari devotione addebantur. Apud christianos a primis ecclesiæ temporibus observata semper sunt præcipua mysteriorum nostræ salutis festa: nimirum teste S. AUGUSTINO superius jam relato

Alii primorum temporum dies festi.

ex apoſtolica traditione *Paſſio Domini*, & *Reſurrectio*, & *Aſcenſio in cælum*, & *Adventus de cælo Spiritus ſancti.* Feſtum Aſcenſionis alicubi inter medias tantum refertur ſolemnitates. Illud tamen conſtitutiones apoſtolicæ magnis ſolemnitatibus accenſent Chriſtianis feriandum διὰ τὸ πέρας τῆς κατὰ χριστὸν οἰκονομίας, *quod finem Chriſti in terris æconomiæ imponat.* S. CHRYSOSTOMUS ſub nomine ἀναλήψεως homiliam in hoc feſto habuit, eſtque *Num.* 35. *Edit. Pariſ.* ubi hoc feſtum vocat τὴν φαιδρὰν ταύτην, καὶ ἐξαστράπτουσαν ἡμέραν, *illuſtrem ac refulgentem diem.* Idem S. Pater homiliam inter illas de ſtatuis habuit τῇ κυριακῇ τῆς ἐπισωζομένης, *Dominica Epiſozomenes*: quam ALLATIUS (*de Dominicis, ac Hebdom. Græcorum* §. 28.) Dominicam infra octavam Aſcenſionis eſſe refert, allato ex codice MS. GREGORII *Nyſſeni* teſtimonio, feſtum Aſcenſionis apud Cappadoces dici ἐπισωζομένην. ORIGENES contra CELSUM ſequentia feſta ſuo tempore celebrata enumerat κυριακὴν, παρασκευὴν, πάσχα, πεντηκοστὴν.
a TERTULLIANUS (*a*) totos quinquaginta a Paſchate uſque ad Pentecoſten dies feſtos habet. *Ethnicis ſemel annuus dies quisque feſtus eſt. Tibi octavus quisque dies.*

(*a*) De Idol. c. 14.

dies. Excerpe singulas solennitates nationum, & in ordinem exsere, Pentecosten implere non poterunt. Haud obscure non solum ipsum diem a Paschate quinquagesimum, sed cunctos simul dies, qui intercedunt, seu *contextas quinquaginta diebus ferias*, ut S. HIERONYMI (*a*) verbis utar, innuit TERTULLIANUS. Canon XLIII. Conc. Illiberitani obscurius idem attingit, in quem videnda est ALBASPINÆI nota, qui hunc canonem probabilius de totis 50. diebus sumit. Clarius S. AMBROSIUS Lib. VIII. in LUCAM c. 17. *Majores tradidere nobis Pentecostes omnes quinquaginta dies ut Pascha celebrandos, quia octavæ hebdomadis initium Pentecosten fecit . . . Ergo per hos quinquaginta dies jejunium nescit ecclesia, sicut Dominica, qua Dominus resurrexit, & sunt omnes dies tanquam Dominica.* Convenit cum ea, quæ apud GRATIANUM refertur, D. AMBROSII (*b*) sententia: *Instar ergo Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut Dominici deputantur.* Credibile vero haud est, totos istos quinquaginta dies proprie festos fuisse: sed S. Pater eodem in loco prodit, cujusmodi eorum fuerit solennitas. *Per hos,*

 inquit,

(*a*) Epist. 28. ad LUCIN.
(*b*) Serm. 61. relatus Dist. 76. c. .8

inquit, *quinquaginta dies nobis est jugis & continuata festivitas: ita, ut hoc omni tempore neque ad observandum indicamus jejunium, neque ad exorandum DEUM genibus succidamus.* THEODOSIUS *Junior Lege V. lib.* 15. *sui Codicis* interdixit theatrorum atque ludorum spectacula, non tamen actiones forenses, multo minus intermissionem laboris: prius aperte ex *Serm.* 19. AUGUSTINI a SIRMONDO edit. claret, qui in octavis Paschæ est habitus; ubi, *Peracti sunt*, ait, *dies feriati, succedent jam illi conventionum, exactionum, litigiorum.* Ex hoc loco illud etiam patet, plures dies a tumultibus forensibus in Paschate fuisse exemtos: fuisse autem dies omnino 15. S. AUGUSTINUS paulo post declarat, nimirum præcedens, & consequens diem Paschatis hebdomada: extat in hanc rem THEODOSII lex: imo SCALIGER *de Emend. Temp.* legem CONSTANTINI producit, qua præcipitur Τὰς παχαλίας δύο ἑβδομάδας ἀπράκτυς τελεῖν, *duabus Paschatis hebdomadis ab opere faciundo cessandum*: explicatius etiam auctor *Constit. Apost. lib. VIII. c.* 33. jubet: Τὴν μεγάλην ἑβδομάδα πάσαν, καὶ τὴν μετ' αὐτὴν ἀργείτωσαν οἱ δοῦλοι, *servi magna hebdomada tota, & eam subsequenti otientur.* Sed otium istud non plenarium fuisse,

inferius

inferius docebimus. *Leo* ALLATIUS *de Hebdomadis Græcorum* §. I. ex *Georgii* HOMARTOLI *Chronico* locum S. CHRYSOSTOMI refert, in quo secundum numerum dierum creationis mundi, dies festos suæ œconomiæ Christum nobis tradidisse dicitur. *Primus est*, verba sunt S. CHRYSOSTOMI, *solemnitatum radix, Christi secundum carnem ex S. Virgine MARIA post Conceptionem Nativitas; secundus Epiphania; tertius salutiferæ Passionis dies; quartus gloriosissima Resurrectio, in qua & in subterranea progrediens Salvator, una secum in vitam revocavit justos, & eos, qui crediderunt; quintus in cœlum ejusdem Assumtio, quemadmodum & quinta hebdomadis die perfectum est; sextus Adventus Spiritus; septimus universæ resurrectionis mortuorum magnus, & sine ulla successione dies: tunc enim vere celebrabunt festum cum multo gaudio & lætitia, qui hæredes futuri sunt eorum, quæ oculus non vidit, nec auris audivit &c.* Reperiuntur hæc in homilia dubiæ fidei. In alia homilia tria recenset solummodo festa: Παρ' ἡμῶν πρώτη ἑορτὴ τὰ ἐπιφάνια· δεύτερα τὸ πάσχα ἑορτή. τρίτη, πεντηκοστή· nullus dubito, quin per τὰ ἐπιφάνια natalem Domini intelligat phrasi non insueta, de quo festo distincto ab Epiphania *Constitutiones apposto-*

apostolicæ L. V. c. 12. sub nomine γενεθλίω ἡμέρας loquuntur. Ipse nihilominus CHRYSOSTOMUS hom. de PHILOGONIO *T. I. p.* 497. festum Nativitatis ab Epiphania distinguit, lateque in illius laudem excurrit, utpote a quo reliqui dies festi omnes ortum duxerint: Ἥν, inquit, ὃν ἄν τις ἁμάρτοι, μητρόπολιν πασῶν τῶν ἑορτῶν προσειπών· *Quod si quis appellet omnium metropolin haudquaquam aberret: ab hoc enim festum Epiphaniorum, ac sacrum Pascha, Ascensio & Pentecoste originem ac fundamentum ducunt, nisi enim secundum carnem natus esset, nequaquam baptizatus esset, nam id festum Theophaniorum est &c. T. II. p.* 352. habetur homilia in diem natalem Domini ad 25. Decemb. quo paucis ab annis tunc celebrari rite, multis probat. Ubi legendum est MONTFAUCONII monitum de natali Domini in oriente 6. Januarii celebrari solito. Putatque Epiphaniam etiam Romæ ante Natale celebrari solitam. Natalem Domini jam sæculo secundo plurimis in locis celebrem fuisse, ex THEOPHILI Paschali epistola colligitur, atque NICEPHORUS in historia persecutionis sub MAXIMINO Imperatore motæ meminit. De CONSTANTINO M. passim docet EUSEBIUS *Lib. IV.* de Vita illius, eum varia instituisse

tuisse festa, τὴν τῆς παρασκευῆς ἡμέραν, τὴν τοῦ πάσχα ἑορτὴν, τὰς τῶν μαρτύρων ἑορτὰς, *Parasceves diem, Paschatis festum, nec non & festa martyrum.*

IV. Piissimus autem iste Imperator CONSTANTINUS, ut eodem loco EUSEBIUS memorat, hoc potissimum martyrum honorem promovit: dum *singularum gentium præsidibus legem dedit, ut martyrum dies honorari curarent, & festorum tempora ecclesiis decernerent.* In quem finem, si DURANDO (*a*) credimus, undique in provinciis, petente id EUSEBIO Cæsariensi episcopo, nomina sanctorum martyrum, & tempora, modumque passionis eorum diligentissime conquisivit, & litteris accurate mandata EUSEBIO transmisit. Festum aliquod generale omnium martyrum jam S. CHRYSOSTOMI ætate celebrari consuetum ex quadam hujus S. Patris homilia istius solemnitatis occasione habita constat, quæ est 80. *Tom. II. p.* 711. ubi etiam docet, illud proxime post Pentecosten celebratum, nimirum Dominica prima post Pentecosten, qua nos recentiore instituto festum SS. Trinitatis agimus. Hac die undique terrarum universæ terræ universos Sanctos ab universa DEI ecclesia

De festis, & memoriis martyrum in prima ecclesia.

a

(*a*) L. VII. c. 1. Rational.

ecclesia honoratos esse *Leo* ALLATIUS *n.* 31. *de Hebd. Græcorum*, atque hanc Dominicam κυριακὴν τῶν ἁγίων dictam veterum auctoritate ostendit. Singularia vero, ut jam superius annotavimus, festa martyrum non ubique in omnibus ecclesiis celebrata fuerunt, sed pro varietate regionum, ubi & martyria perpessi & sepulti erant. Quamvis autem ambigendum haud sit, in honorem apostolorum die, & loco eorum martyrii ejusmodi festos conventus a fidelibus celebratos; ex antiquis tamen monumentis primus refertur POLYCARPUS, quem hoc honore Smyrnenses, quorum erat episcopus, dignati sint, ut ex hujus ecclesiæ epistola EUSEBIO (*a*) memorata constat: ubi narrant, velle se, si DEUS concesserit, ad monumentum ejus convenientes natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare. TERTULLIANUS (*b*) de his anniversariis ceu suo tempore usitatis sermonem etiam habet: *Oblationes*, ait, *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* CYPRIA-

(*a*) L. IV. c. 15. Ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον.

(*b*) De Corona milit. c. 3.

PRIANUS passim de sacrificiis & oblationibus in natalibus martyrum loquitur. ORIGENES libro 3. in JOBUM, *Celebramus*, inquit, *memoriam defunctorum, religiosos cum sacerdotibus convocantes, fideles unacum clero invitantes, ad hæc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus.* Nihil de D. BASILIO, CHRYSOSTOMO, AUGUSTINO, LEONE, MAXIMO memorare necessum est, qui sermonibus ejusmodi martyrum natales illustrarunt. S. CYRILLUS (*a*) de memoriis martyrum sui ævi dicit, *hoc ad Græcorum vetustissimorum imitationem fieri, apud quos ii, qui in Marathone ceciderunt, anniversariis laudibus coronati sunt.* Hanc piam & sanctam ecclesiæ consuetudinem egregie ornat THEODORETUS (*b*) in Gentiles invectus: *Pro*

(*a*) L. VI.

(*b*) THEODORET. Therapeut. Serm. VIII. Ἀντὶ τῶν πανδίων, καὶ Διασίων, καὶ Διονυσίων, καὶ τῶν ἄλλων ὑμῶν ἑορτῶν, Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ Θωμᾶ, καὶ Σεργίου, καὶ Μαρκέλλου, καὶ Λεοντίου, καὶ Παντελεήμονος, καὶ Ἀντωνίου, καὶ Μαυρικίου, καὶ τῶν ἄλλων μαρτύρων ἐπιτελοῦνται δημοδοινίαι. καὶ ἀντὶ τῆς πάλαι πομπείας, καὶ ἀιοχρυσεργίας,

Pro Pandiis enim, Diasiisque, ac Dionysiis, hoc est, Jovis, liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, aliisque sanctis martyribus solennitates populari epulo peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate ac impudentia fiunt modestæ, castæ, ac temperantiæ plenæ festivitates: non illæ quidem mero delibutæ, non commessationibus leves, non cachinnis solutæ, sed divinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ, in quibus ad DEUM preces non sine sanctis lachrymis ac suspiriis submittuntur. Vereor enimvero, ut in istis martyrum memoriis veram nostrarum feriarum faciem, ac ideam reperiam: quin imo videntur eæ completæ fuisse fidelium conventu in unum congregatorum ad audienda passionis acta gloriosorum istorum JESU Christi pugilum, atque ad offerendum in eorum memoriam sacrificium; quibus nonnulla alia lætitiæ, devotionis & solennitatis addita indicia; de cessatione

καὶ ἀιοχροῤῥημοσύνης, σώφρονες ἑορτάζονται πανηγύρεις, ὐ μέθην ἔχουσαι, καὶ πῶνον, καὶ γέλωτα, ἀλλ ὕμνους θείους, καὶ ἱερῶν λογίων ἀκρώασιν, καὶ προσευχὴν ἀξιεπαίροις κοσμουμένην δακρύοις.

tione vero ab operibus ſervilibus, idque ex præcepto impoſita nihil in antiquis monumentis reperire potui: cum etiam hodie plerique chriſtiani in Sanctorum memoriis ac feſtis, imo quotidie conveniant, ad Miſſæ ſaltem audiendum ſacrum. Pene exciderat memoria feſtum Innocentium ab HERODE interfectorum, quod ad hunc etiam cenſum pertinet, atque inde a primis ſæculis celebrari conſuetum fuit: *Horum*, inquit ORIGENES (*a*), *memoria ſemper, ut dignum eſt, in eccleſiis celebratur.* Et S. AUGUSTINUS (*b*) *Non fruſtra*, inquit, *etiam infantes illos, qui, dum Dominus JESUS Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem martyrum receptos commendat eccleſia.* Circumferuntur ſermones S. AUGUSTINI de Innocentibus, ſed ſpurii habentur. Id vero ex regula S. BENEDICTI nota, quod, cum *c.* 48. ſolis diebus dominicis monachos a labore manuum exemptos lectioni vacare jubeat; atque *cap.* 14. *In Sanctorum feſtivitatibus vel omnibus ſolemnitatibus ſicut Dominico die agendum* officium quidem divinum præſcribat, nihil tamen de vacatione a labore manuum in Sanctorum feſtivitatibus vel aliis ſolemni-

a

b

C ta-

(*a*) Hom. III. de Diverſis. T. II.
(*b*) De lib. arbit. L. III. c. 23.

tatibus: quas ſolemnitates Domini intelligere par eſt. Unde quis conjiciat ſicut in officio divino, ita etiam quoad vacationem dominicis æquiparatas eſſe. Aliter tamen *Alexandro* BORGIÆ in Epiſt. ad Card. QUIRINI videtur: ſæculo nimirum ſexto, in quo S. BENEDICTUS florebat, uſum haud fuiſſe feriandi in feſtis Sanctorum, cum nec apud monachos vitæ perfectioris id obtinuerit.

Quomodo convent', ſtationes, vigiliæ, & dies feſti primis ſæculis transacti ſint.

V. Hoc etiam generatim aſſeri poteſt, mentibus antiquorum longe aliam obverſatam fuiſſe notionem feſtorum, atque hodie ſoleat. Nos quando de feriis loqui ſolemus, de veris feriarum operum fructibus vix cogitamus, ſolummodo attendimus ad ceſſationem a labore: notionem & ideam nobis ſuggerente uſu & praxi. Veteres econtra illi longe aliter de feriis ſermocinati ſunt. S. GREGOR. *Nazianzenus Orat. XXXIX.* κεφαλὴν ἑορτῆς μνήμην Θεοῦ, *præcipuum feſti caput memoriam DEI* vocat. *Feriari noſtrum*, inquit idem (*a*), *non*

(*a*) GREG. Naz. Orat. XLIV. in Pentecoſten. Τοῦτό ἐστι τὸ ἑορτάζειν ἡμῶν, ψυχῇ τί θυσαυρίσαι τῶν ἐσωτῶν καὶ κρατουμένων, ἀλλὰ μὴ τῶν ὑποχωρούντων καὶ λυομένων, καὶ μικρὰ σαινόντων τὴν αἴσθησιν.

non est quidquam aliud, quam animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma & stabilia sunt, ac manibus tenentur, non autem suffugiunt, & dilabuntur, leviterque duntaxat sensum demulcent. Clarius & apertius D. CHRYSOSTOMUS (*a*), *Hoc verum*, inquit, *est festum, ubi animarum salus, ubi pax & concordia, ubi omnis cogitatio, & cura de rebus terrenis exulat: ubi clamor & tumultus, coquorum etiam discursitationes locum non habent: summa autem tranquillitas, & quies, charitas, gaudium, pax, mansuetudo, & infinita alia bona eorum loco dominantur.* Videmus enimvero, quomodo cum moribus etiam vocum notiones mutantur, vacare nostris temporibus fere otio vacare est in feriis, cum antiqui divinis officiis vacarint, de otiandi a servilibus operis præcepto non multum soliciti. Act. III. 1. legimus, primos fi-

(*a*) Αὕτη ἡ ἀληθὴς ἑορτὴ ἔνθα ψυχῶν σωτηρία, ἔνθα εἰρήνη, καὶ ὁμόνοια, ἔνθα βιωτικὴ πᾶσα φαντασία ἀπελήλαται· ὅπου κραυγὴ, καὶ θόρυβος, καὶ μαγείρων δρόμοι, καὶ τῶν ἀλόγων σφαγαὶ ἐκποδὼν. ἠρεμία δὲ πᾶσα, καὶ γαλήνη, καὶ ἀγάπη, καὶ χαρὰ, καὶ εἰρήνη, καὶ πραότης, καὶ τὰ μυρία ἀγαθὰ ἀντ' ἐκείνων πολιτεύεται.

deles perduraſſe in orationibus unanimiter, idque diuturno tempore quotidie factitabant; quamvis, ut ſupra audivimus, ſolemniores conventus prima hebdomadis feria, ſive die Dominica habuerint. Supra etiam ex AUGUSTINO audivimus, alicubi Chriſtianos ſingulis diebus ad oblationes conveniſſe.
a S. BASILIUS (*a*) quatuor dies in hebdomade recenſet. *Quater nos ſingulis ſeptimanis communicamus. Dominico die, feria quarta, in Paraſceve & Sabbato, ſed & per dies etiam alios, ſi martyris alicujus memoria celebretur.* Conventus feriæ quartæ & ſextæ ſtationes vocabantur, & cum jejunio celebrabantur, quare feſtis annumerandi non ſunt; haud ſecus, ac integri quadrageſimæ dies, imo quandoque ceſſantibus perſecutionibus ſinguli anni dies, qui eo modo feriæ dici poſſunt: qua ratione apud nos omnes dies feriæ dicuntur illis, qui aut officio canonico addicti ſunt; aut fideles nullum diem intermittunt, quo minus partem aliquam diei in eccleſia Miſſæ

(*a*) Epiſt. 289. Ἡμεῖς μέντοιγε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν· ἐν τῇ κυριακῇ, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐάν ᾖ μνήμη μάρτυρος τινός.

ſæ ſacro audiendo tranſigunt. Quæ feriæ denominatio jam TERTULLIANI ævo uſum aliquem habuiſſe videtur: ſic enim ille adverſus Pſychicos *cap.* 2. ex eorum perſona loquens, *Itaque*, inquit, *de cætero jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ legis. Proinde nec ſtationum, quæ & ipſæ ſuos quidem dies habeant quartæ feriæ, & ſextæ.* Sed alia olim dierum ſolemnium erat ratio, quibus non ſolum ipſa dies pia & devota celebritate agebatur, ſed etiam præcedens nox vigilando in divinis laudibus conſumebatur in præcipuis feſtis Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti. Celeberrima Paſchatis erat nox vigiliarum, de qua jam TERTULLIANUS (*a*): *Quis*, ait, *ſolemnibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit*: & LACTANTIUS (*b*), *Nocte*, inquit, *vigilias celebramus propter adventum Regis, ac DEI noſtri: cujus noctis duplex eſt ratio, quod in ea & vitam tunc recepit, cum paſſus eſt, & poſtea orbis terræ regnum receptur us eſt.* Quare adventum Chriſti hac nocte fideles exſpectarint, HIERONYMUS etiam nobis declarat. *Traditio*, inquit, *Judæorum eſt, Chriſtum media*

(*a*) Ad uxor. L. II. c. 4.
(*b*) L. VII. c. 19.

nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt: unde reor & traditionem apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi. Ex
a S. Chrysostomo (*a*) noctem non unam solum, sed plures etiam, vigiliis & pernoctationibus hujusmodi sacris in hebdomade Pascha antecedente tributas esse, atque ex officiis illarum Dominicarum Quatuor Temporum, quæ cum Sabbati officio eadem sunt, patet propter vigilias, duos dies in unam, quod sacrum conventum attinet, coaluisse. Has vigilias Græci παννυχίδας, & præsertim Chrysostomus παννύχους, καὶ διηνεκεῖς στάσεις, *per noctes & perpetuas stationes* (ut a diurnis feriæ præsertim quartæ & sextæ stationibus distinguantur, quæ ad horam nonam usque tertiam nostram pomeridianam protrahebantur) Latini pernoctationes & pervigilia appellabant, eoquod maxima noctis pars illis insumta sit: neque deinde sequentes dies vacui a divinis officiis, & exercitiis pieta-
tis

(*a*) Hom. XXX. in Genes.

tis erant, ut ex CHRYSOSTOMO (*a*) constat. En ejus verba: *Ecclesiam ingredere, vide pauperes a medio noctis usque ad lucem perseverantes, vide sacra pervigilia diem cum nocte copulantia: vide populum Christi amantem, neque noctu, neque interdiu, vel somni tyrannidem ac violentiam metuentes, vel inopiæ necessitatem formidantes.* CASSIANUS (*b*) de monasteriis Ægypti & Thebaidis loquens hoc inter officii diei Sabbati & Dominicæ, ac reliquos dies discrimen facit, quod in illis, non in his interdiu præter vespertinas & nocturnas horas convenirent. *Exceptis*, inquit, *vespertinis horis, ac nocturnis congregationibus, nulla apud eos per diem solemnitas, absque die Sabbati vel Dominica, in quibus hora tertia sacræ communionis obtentu communicant.* Insigne etiam suppetit SIDONII (*c*) testimonium post vigilias peractas interdiu denuo convenisse fideles. *Convenera-*

a

b

c

(*a*) Hom. IV. de Verb. ESAIÆ. Εἰσελθε εἰς ἐκκλησίαν ἴδε πένητας ἐκ μεσονυκτίων μέχρι τῆς ἡμέρας παραμένοντας, βλέπε παννυχίδας ἱερὰς ἡμέρας, καὶ νυκτὶ συναφθείσας, ὅτε ἐν νυκτὶ τὴν τυραννίδα τοῦ ὕπνου, ὅτε τὴν ἀνάγκην τῆς πενίας φοβουμένους.

(*b*) L. III. c. 2.

(*c*) L. V. Epist. 17.

mus ad sancti Justi sepulchrum . . . Processio fuerat antelucana, solemnitas anniversaria, populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima Basilica non caperet, & quamlibet unita diffusis cryptoporticibus. Cultu peracto vigiliarum, quas alternante dulcedine monachi clericique psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præsto futuri, quum sacerdotibus res divina facienda. Ex his patet, etiam martyrum solemnioribus memoriis anniversariis vigilias esse præmissas. Itidemque patet, monachis & clericis psallendi munus incubuisse singillatim jam, reliquis nihilominus fidelibus acervatim confluentibus: unde determinata tandem horarum canonicarum distinctior celebratio orta, clericisque ac monachis propria, de quibus plura in constitutionibus apostolicis, CASSIANI operibus, alibique. Vigiliarum usus primum apud mulieres in desuetudinem abiit, quod obtentu earundem varia scelera perpetrarentur. Extat in hanc rem canon Illiberitanus XXXV. *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmiterio pervigilent; eoquod sæpe sub obtentu orationis latentes scelera committant.* Unde etiam S. HIERONYIMI (*a*) monitum ad LÆTAM de ejus filia: *Vigi-*

(*a*) Epist. VII. ad LÆTAM.

Vigiliarum dies, & solemnes pernoctationes, sic virguncula nostra celebret, ut ne transverso quidem ungue a matre discedat. VIGILANTIUS hæresiarcha has vigilias, excubiasque acerrime impugnavit: contra HIERONYMUS regerebat, paucorum culpam religioni damno esse non debere: quia qui peccarent vigilando in templis, possent etiam in suis, vel alienis domibus eadem facere. Attamen eo tandem malum devenit, ut consultius visum fuerit scandalorum occasionem e medio tollere, sicque harum excubiarum loco jejunia instituta sunt, quæ hodieque vigilias indigitamus, de qua mutatione MANTUANUS (*a*) canit:

Nam quia nox sceleri solet esse occasio, & illud
Observant, qui furta volunt committere, tempus,
Jejunare diem visum est sapientius illam
Quæ præit, & clauso noctem dormire cubili.

VI. Hactenus generatim conventus maxime in diebus festis Christianorum delineavimus, unde liquido constat, fideles primos pauciores quidem dies festos celebrasse, sed eos longe majori religione

De vacatione ab operibus servilibus ritu christiano.

(*a*) L. I. Fast.

ligione transegiſſe: imo eos etiam conventus & ſtationes, quas præter ſolemnes ferias agebant, multo pluribus & amplioribus pietatis exercitiis abſolviſſe, quam apud nos dies, ex præcepto, divino ſervitio dicati paſſim conſummantur: neque ad hoc opus fuiſſe canonum, aut mandatorum ſtatutis, ipſo pietatis & devotionis inſtigante, ducenteq; ſenſu: nec eos de otio ab operibus cogitaſſe, ſed de vacatione rebus ſacris & divinis: cum ante Concilium Laodicenum vix otii feriarum memoria occurrat, quod Concilium *Can. XXIX.* ſuperius jam a nobis laudato (qui repetitur in Capitul. Aquisgr. an. 789. c. 15. decernit: *Quod non oportet Chriſtianos judaizare, & in Sabbato otiari; ſed ipſos eo die operari: diem autem Dominicum præferentes otiari, ſi modo poſſint, ut Chriſtianos.* Ubi vides nullam abſolutam imponi neceſſitatem, qualis erat in lege cærimoniali Judæorum in Chriſtianiſmo abolita. *Obſervare*, inquit S. AUGUSTINUS (*a*), *diem Sabbati non ad literam jubemur, ſecundum otium ab opere corporali ſicut obſervant Judæi. Et ipſa eorum obſervatio, quia ita præcepta eſt, niſi aliam quamdam ſpiritualem requiem ſignificat, ridenda judicatur.* De S. BENEDI-

(*a*) Epiſt. 54. c. 2.

DICTO jam meminimus *c.* 48. *Reg. De opere manuum quotidiano.* Ubi *Dominico die*, inquit, *lectioni vacent omnes, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt. Si quis vero ita negligens & desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere, injungatur ei opus, quod faciat, ut non vacet.* S. GREGORIUS (*a*) præceptum vacandi a labore die Dominico commemorat his verbis in Epist. ad Romanos cives: *Dominicorum vero die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum; ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem Resurrectionis dominicæ precibus expietur.* Damnat vero superstitionem a perversis hominibus prædicatam, *ut Dominicorum die nullus debeat lavari.* In synodo Aurelianensi III. *c.* 28. legitur, & ad verbum repetitur in Syn. Vernensi an. 755. *c.* 14. *Die Dominico quid operis facere liceat, aut non liceat*, ac si habet: *Quia persuasum est populis die Dominico agi cum caballis sive bubus & vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparari, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus exerceri, quæ res ad Judaicam superstitionem magis, quam christianam observationem pertinere probatur, id statuimus, ut die Dominico, quod antea fieri li-*

(*a*) Lib. XIII. Ep. 1.

licuit, liceat. De opera tamen rurali, arato aut vineæ sectione, excussione, vel sæpe censuimus abstinendum, quo facilius ad ecclesiam venientes orationis gratia vacent. Quodsi inventus fuerit quis in operibus suprascriptis, quæ interdicta sunt exercere, qualiter emendari debeat non laicorum districtione, sed in sacerdotis castigatione consistat.

Legibus & canonibus constituta.

VII. In legibus etiam Imperatorum christianorum constitutum habetur, Dominicis diebus esse abstinendum ab opere manuum & negotiis judicialibus, non exclusis tamen necessariis, præsertim si pietati prosint. Agriculturam etiam in villis ruri permisit CONSTANTINUS M. cum ita tempestatis commoditas flagitaret, ut refertur in Cod. l. 3. de Feriis. *Omnes judices urbanæque plebes, & cunctarum artium officia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterque inserviant: quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta siclis, aut vineæ scrobibus mandentur: ne occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa.* Deinde VALENTINIANUS, THEODOSIUS, & ARCADIUS eam potissimum feriandi rationem determinarunt, quæ ad strepitum judicialem pertineret, ut in lege

ge cod. *Omnes dies* habetur: cujus etiam PHOTIUS in suo Nomocanone *Tit. VII. can.* I. compendium aliquod affert. THEODOSIUS indulsit, *ut in die Dominica emancipare ac manumittere liceat, reliquæ causæ vel lites quiescant.* Prohibent spectacula & voluptates obscenas. In Concilio Altisiodorensi an. 578. *c.* 16. generatim exceptio additur: *Non licet die Dominico boves jungere, vel alia opera exercere, nisi pro causis constitutis.* Insignis est *Canon I.* Conc. Matisconensis an. 585. de digna christianis feriandi diem Dominicum ratione: *Quæ*, ajunt Patres, *nos denuo peperit, & a peccatis omnibus liberavit. Nullus vestrum litium fomitibus vacet: nullus causarum actiones exerceat: nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus juvencorum imponere cogat. Estote omnes in hymnis & laudibus DEI animo corporeque intenti. Si quis vestrum proximam habet ecclesiam, properet ad eamdem, & ibi Dominico die semetipsum precibus lacrymisque afficiat. Sint oculi, manusque vestræ toto illo die ad DEUM expansæ &c.* Agitur sequenti canone de Paschate festivissime sex diebus celebrando: *Ut illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere; sed omnes simul coadunati hymnis paschalibus indulgentes, perseverationis nostræ præ-*

sentiam

sentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes Creatorem ac Regeneratorem nostrum vespere, mane, & meridie. In Concilio Narbon. an. 589. statuitur c. 4. *Ut omnis homo, tam ingenuus, quam servus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus vel Judæus die Dominico nullam operam faciat, nec boves jungantur, excepto si in mutando necessitas incubuerit.* Can. 15. damnatur execrabilis ritus *diem quintam feriam qui & dicitur Jovis* excolendi, & operationem non faciendi, *præter festivitates in eo die venientes.* Unde colligitur mos aliis etiam, quam Dominicis diebus feriandi, licet canones imprimis de his caveant. Sic in Conc. Cabilon. an. 650. c. 18. *Ut in ipso die Dominico ruralia opera id est arare, secare, messes metere, exartos facere, vel quidquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præsumat.* In synodo, cui S. Bonifacius interfuit circa an. 744. celebrata statuitur: *Si quis die Dominico opera servilia fecerit, liber homo si boves junxerit, dextrum bovem perdat. Et si alia, quæ prohibita sunt, fecerit, sacerdotibus illa emendet, sicut de reliquis negligentiis judicibus emendari solet, & pœnitentiam insuper accipiat. Similiter de præcipuis festivitatibus.* In capitulari Caroli M. an. 789. T. I. Capitul. p. 239. 240. c. 79. provocatur ad

præ-

præcedens PIPINI, atque articulatius, quæ sint vetita opera servilia exponitur, *Ut omnimodis honor & requies diei Dominici servetur. Sed & ad Missarum solemnia ad ecclesiam undique conveniant & laudent DEUM in bonis, quæ nobis in illo die fecit.* In Conc. Arelat. VI. an. 813. c. 16. cavetur: *Ne in Dominicis diebus publica mercata, neque causationes, disceptationesq; exerceantur & penitus a rurali & servili opere cessetur: his solummodo peractis, quæ ad DEI cultum & servitium pertinere noscuntur.* Eodem anno similia decreta sunt in Conc. Remensi II. c. 35. & Moguntino Can. 37. Quod refertur in Collect. Capitular. Ansegisi lib. V. c. 153. cum aliis imprimis lib. VI. c. 189. & 205. Apud REGINONEM item, BURCHARDUM, & IVONEM. Quæ aliaque ecclesiæ statuta etiam apud principes in rem judicatam sunt missa. Uti habetur edictum THEODORICI Gothorum Regis; GUNTRAMI item & CHILDEBERTI; ac DAGOBERTI in lege Bojariorum: ALVAREDI Regis Anglorum. De Græcis autem Imperatoribus apud BALSAMONEM. Demum hic canonem Conc. Paris. VI. (*a*) an. 829. subdimus: *Salubriter admonemus cunctos fideles, ut diei Dominico debitum honorem & reveren-*

(*a*) Lib. II. c. 5.

rentiam exhibeant, quoniam hujus dehonoratio & a religione christiana valde abhorret, & suis violatoribus animarum periculum proculdubio generat. Nec hic omittere par est *Rhabani* MAURI (*a*) locum, quo SILVESTRO tribuit, *Ut otium Sabbati magis in diem Dominicam transferretur, ut ea die a terrenis operibus ad laudandum DEUM vacaremus, juxta illud quod scriptum est:* Vacate & videte quoniam ego sum DEUS. *Secundum hunc autem morem in natalitiis Sanctorum vacare, id est, ad laudes DEI celebrandas sancta nos jubet ecclesia. Cæterum qui his diebus ad hoc vacare vult ab agricultura, ut crapulæ & ebrietati deserviat, vel jocis inanibus operam det, agnoscat se magis peccare per tale ocium, quam qui alicui utili operi insisteret.*

Numerus dierum festorum post quintum nonnullis sæculis.

VIII. Sed ut ad propositum redeamus, videndum, quæ ulterioribus sæculis festorum ratio fuerit, donec tandem post medium ævum ad tantum numerum accreverint, ut postea ad eum accidendum, diminuendumque pastorali cura opus fuerit. Sæculo sexto, & deinceps multi in memoriam mysteriorum Christi, honoremque Sanctorum dies sunt consecrati, dedicatique, sed non hinc con-

(*a*) Lib. II. de Instit. Cler. c. 46.

concludendum, tales dies feriatos fuiſſe, niſi fortaſſis una, & altera in eccleſia. Ex pluribus conciliis ſæculi ſexti conſtat, Agathenſi (*a*) ſc. an. 506. can. LXIII. & LXIV. Aurelianenſi I. an. 511. tribus anni ſolemnitatibus Paſchate, Natali Domini & Pentecoſte, ſeu Quinquageſima, ut vocat Aurelianenſe concilium, populum & clericos in cathedrali eccleſia congregari juſſos: ſimilia fere ſunt conc. Epaonenſis c. XXXV. Toletani XIII. can. VIII. ſtatuta. Idem tamen concilium Aurelianenſe I. c. 27. de rogationum diebus ſequens habet ſtatutum (*b*): *Rogationes, id eſt, litanias antè aſcenſionem Domini, ab omnibus eccleſiis placuit celebrari: ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ aſcenſionis feſtivitate ſolvatur: per quod triduum ſervi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat.* Hinc manifeſtum eſt, jam hoc ſæculo ferias plenas non paucas uſitatas fuiſſe: nec ſuperiora decreta de præcipuis feſtis in urbe epiſcopali celebrandis obſunt, quo minus aliæ minus ſolennes feriæ actæ fuerint: cujusmodi feſtum Circumciſionis, Hypapantes, ſeu Purificationis a-

D licubi

(*a*) T. V. Conc. Edit. Venet. Nov.
(*b*) T. V. Conc. Col. 548.

licubi, de quo festo homilia CYRILLI *Hierosolymitani* circumfertur, sed ab eruditis spuria habetur, eoquod festum hoc equidem ab ecclesia Hierosolymitana ortum duxerit, sed primum tempore Chalcedonensis concilii celebrari cœptum, ut doct.mus P. *Ant. Augustinus* TOUTTÉE e Cong. S. MAURI in novissima operum S. CYRILLI *Hierosol.* editione *p.* 360. *n.* 5. testimonio auctoris gravissimi CYRILLI *Scythopolitani* ostendit. Ad medium sæculi VII. inter statuta SONNATII episcopi Remensis sequens de diebus festis habetur catalogus. *Festa absque omni opere forensi excolenda, & cum debita veneratione celebranda hæc sunt: Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Annuntiatio B. MARIÆ, Resurrectio Domini cum die sequenti, Ascensio Domini, dies Pentecostes, Nativitas Beati Joannis Baptistæ, apostolorum Petri, & Pauli, Assumtio B. Virginis, ejusdemque Nativitas, Andreæ apostoli, & dies omnes Dominicales.* Hoc sæculo festum etiam omnium Sanctorum, primum sub nomine Martyrum a BONIFACIO III. seu IV. institutum. Nec non S. MARTINI a cognomine MARTINO I. quod festum præcipue in Gallia celebre, ita ut primus is habeatur passim, qui inter Confessores in ecclesia occidentali (Palæstini

enim

enim antea jam in oriente, ut refert SOZOMENUS *lib. III. c.* 14. eos honorare ſolebant viros ſanctos, qui apud ipſos vixerunt e. c. HILARIONEM, aliosque) celebrari meruerit, idque non longe a ſuo obitu, ut colligitur ex officio hujus Sancti, prout a MABILLONIO (*a*) refertur. *Hunc virum, quem ætatis noſtræ tempora prætulerunt, jubeas auxilium noſtris afferre temporibus.* Sed hæc diem feriatum non arguunt: quod tamen ſi dandum etiam eſſet, cernere nihilominus licet, numerum feriarum adhuc perexiguum fuiſſe, ſi conferatur ad ſuccedentia tempora. Profecto enim ex ſtatutis S. BONIFACII, epiſcopi Moguntinenſis, & Germaniæ apoſtoli, quæ pro eccleſiis abs ſe in Germania fundatis reliquit, eluceſcit ſæculo octavo numerum feriarum jamjam auctiorem fuiſſe, utſequens ſtatutum prodit. (*b*) *Annuntient presbyteri diebus Dominicis per annum ſabbatizandum omni modo in Natali VIII. Kal. Januar. dies quatuor: in Circumciſione Domini Kal. Januar. diem unum: in Epiphania VIII. Id. Januar. diem unum: in Purificatione S MARIÆ IV. Non. Februar. diem unum: in Paſcha Domini poſt Dominicam dies tres: in Aſcenſione Domini diem unum: in Natali S. Joannis*

a

b

 Baptiſtæ

(*a*) Liturg. Gall. L. I. c. 4. (*b*) T. I. Conc. Germ.

Baptiſtæ VIII. Kal. Julii diem unum: in Paſſione SS. Apoſtolorum Petri & Pauli III. Kal. Jul. diem unum: In Aſſumtione S. MARIÆ XVIII. Kal. Septembr. diem unum: In Nativitate S. MARIÆ VI. Id. Septembr. diem unum: in paſſione S. Andreæ apoſtoli pridie Kal. Decembr. diem unum. Mirum videri non debet, feſti Pentecoſtes mentionem non fieri, cauſa eſt, quod in Dominicam ſemper incidat: patet autem, præſenti catalogo eos tantum feſtos dies commemorari, qui præter dies Dominicos ſunt conſtituti: quare etiam Paſchatis Dominicæ non meminit, ſolos tres ſubſequentes dies ponens, ut jam ab aliis obſervatum. Non ita multo poſt a CHRODEGANDO Metenſi idem fere feſtorum numerus in *Regulæ pro Canonicis cap.* 74. eſt conſtitutus, addictis S. LAURENTII, & S. MARTINI feſtis, nulla vero dierum Paſchæ Dominicam ſequentium commemoratione, omiſſo etiam Nativitatis B. V. feſto, ſimiliter apoſtolorum feſtis generatim memoratis, præterquam S. Jo. Evangeliſtæ. Apud REGINONEM *lib.* 3. *c.* 378. habetur ex Conc. Riſpacenſi, quod ad an. 799. refert *Jordanus* DUKERUS, cum tamen inter alia, feſtum omnium Sanctorum ponatur, primum ſub LUDOVICO *Pio* celebrari cœptum. Sanciunt autem,

autem, ut celebretur *dies Paſchæ, ſimiliter feria ſecunda, tertia, & quarta & quinta. Ante Miſſam licentia ſit arandi & ſeminandi hortum, vel vineam excolendi, & ſepem circumcludendi: ab alio vero opere ceſſare decrevimus: poſt Miſſam autem ab opere vacare, Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha, S. Laurentii, Kal. Novemb. omnium Sanctorum, ſimiliter dedicationem eccleſiarum.* Ad initium ſæculi noni, aut finem octavi pertinere videtur conſtitutio de feſtis, & certo eorum numero edita: in qua eadem fere, ac in Regula CHRODEGANDI feſta occurrunt, niſi quod S. ANDREÆ feſtum, octava Epiphaniæ, litania major addantur, omiſſo S. LAURENTII feſto. *De Aſſumtione S. MARIÆ*, verba ſunt legis, *interrogandum relinquimus.* Habetur decretum *lib. I. c.* 158. *Collect. Anſegiſi apud Baluz. T. I. Capitul. p.* 732. In Concilio Moguntino an. 813. ſub eodem Imperatore jam cum aliis feſtis Aſſumtio B. M. V. comparet: Tota hebdomada Paſchæ & Pentecoſtes; cum in concilio Rispacenſi feria quinta concludatur, atque inſuper licentia detur arandi vel ſeminandi, & hortum, & vineam excolendi, & ſepem circumcludendi: ab alio vero opere ceſſare decreverunt: poſt Miſſam autem ab opere vacare. De die Aſcenſionis Domini in

concilio Moguntino nota: *Diem Ascensionis Domini pleniter celebrare.* Qua de re *Ludov.* CELLOTIUS (*a*) notis in WALTERII capitula *Fuerunt*, inquit, *olim festi dies media tantum parte culti, ac post meridiem laboribus externis profanati:* de quorum numero videtur fuisse dies Ascensionis, quam consuetudinem antiquare sategit concilium hoc, & totum, atque integrum vult celebrari. In eodem concilio Moguntino apparet primum festum dedicationis S. MICHAELIS, S. REMIGII, & Pentecoste eodem modo, quo Pascha celebrari jubetur, quod posterioribus temporibus semper in more mansit. Ea item Martyrum & Confessorum festa ferianda præcipiuntur, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt. Similiter etiam dedicatio cujusque templi. In concilio Aquisgranensi an. 817. eadem prorsus festa occurrunt, quæ supra ex regula CHRODEGANDI recensuimus. In capitulari AHITONIS, episcopi Basileensis an. 836. Pascha octo diebus feriandum constituitur, Rogationum dies tres, Sabbatum S. Pentecostes, nulla mentione habita Nativitatis B. V. S. LAURENTII, MARTINI &c. In Capitulari 97. HERARDI Ep. Turonensis an. 848. qualiter fe-

(*a*) T. X. Conc. Col. 82. d.

feriari debeant octo dies Paſchæ, & Pentecoſte ſingulariter ſciſcitur, reliqua feſta *Art.* 61. enumerantur, inter quæ feſtum omnium Sanctorum ſingulariter additur. Aurelianenſis ſynodus (*a*) ſub WALTERIO epiſcopo an. 868. Capit. 18. diebus octo Paſchæ adjungit Sabbatum ſanctum: poſt communia vero reliqua feſta, *Noſtrorum præterea*, ſic verba hujus ſynodi ſonant, *Patrum, quorum piis apud Dominum patrociniis vicinis juvamur: B. Evurtii de tranſitu: B. Aniani de tranſitu: B. Benedicti, B. Maximini, B. Lifardi ſimiliter de tranſitu: de inventione ſalutiferæ Crucis, & exaltatione ejusdem vivificæ Crucis.* Singularia de diebus feſtis hoc ſæculo ALVAREDUS Rex Angliæ conſtituit, quæ hic damus. *His diebus feſtis ſequentibus feſta liberis, & ingenuis omnibus licentia conceditur; ſervis autem, atque iis, qui ſunt legitima officiorum ſervitute obligati non item. Duodecim dies a feſto Natali Domini. Dies ille, quo Chriſtus ſubegit diabolum. Dies, quo agitur anniverſarius B. Gregorii feſtus. Dies ante feſtum Paſchatis ſeptem, & totidem dies feſtum illud inſequentes. Dies feſtus Beatorum Petri & Pauli. In autumno integra, quæ eſt ante feſtum MARIÆ, ſeptimana. Dies feſtus omnium Sanctorum.*

(*a*) T. X. Conc.

Quatuor autem diebus Mercurialibus in quatuor illis septimanis, quibus publicum edici solet jejunium, servis omnibus festa dator licentia, ut omnem eorum operam in illorum insumant utilitatem, a quibus antehac in DEI nomine beneficia acceperant, aut de quibus in posterum ex collocata eorum opera bene mereantur. Ecclesia Romana quænam hoc tempore festa celebrarit, plene non constat, nisi ex illis, quæ NICOLAUS I. consultantibus Bulgaris de SS. Festis an. 858. in responsis dedit. *In quorum*, inquit summus hic Pontifex, *apostolorum vel martyrum, seu confessorum festis a labore terreno recedere debeatis, inquiritis: in solemnitatibus utique B. MARIÆ Virginis, & SS. duodecim Apostolorum & Evangelistarum, atque Præcursoris Domini Joannis, & S. Stephani primi Martyris: nec non & in eorum Sanctorum natalitiis, quorum apud vos DEO favente memoria celebris, & dies festivus habebitur.* De GREGORIO etiam IV. refert DURANDUS lib. VII. cap. 34. eum decrevisse, *ut festa celebrentur non solum in honorem apostolorum, & martyrum, sed etiam Trinitatis, angelorum, confessorum, & generaliter omnium Sanctorum, Sanctarum, & electorum*: sed de feriis institutis hæc nihil probant.

IX.

IX. Quod vero attinet ad *cap. I. Pronuntiandum de Consecr. dist.* 3. quod a GRATIANO Concilio Lugdunensi adscribitur a BURCHARDO etiam, & IVONE relatum, in nullo, quod extat, concilio Lugdunensi reperitur: imo concilia Lugdunensia, de quibus monumenta ecclesiastica memorant, BURCHARDO, IVONE & GRATIANO posteriora sunt. Ratio, quare hic loci hoc reponam capitulum, est, quod fere in omnibus conveniat cum statuto episcopi Basileensis hujus sæculi, ex quo superius aliqua excerpsimus: cumque nullæ aliæ ejus veræ origines ostendantur, abhinc forte sunt repetendæ. Tantum apud AHITONEM omittitur festum SS. SILVESTRI, LAURENTII, Nativitas B. V. S. MARTINI. Præcepta antiqua seu instituta synodalia ecclesiæ Rotomagensis (*a*) a *Guilielmo* BESSIN, e Congr. S. MAURI ex MS. 400. edita, concilio Lateran. canonem tribuunt de numero festorum, eodem initio, iisque fere verbis concinnato, præterquam quod plura festa addantur, quam quæ in hoc capitulo reperiantur. Existunt alia etiam posteriorum sæculorum de festis statuta, quæ verba hujus capituli usurpant, sed in numero festorum variant: quod indicium est, episcopos

De Capitulo *Pronuntiandum.*

(*a*) Conc. Rotom. P. II. p. 61.

in ſuis decretis de feſtis hunc canonem præ oculis habuiſſe, libertate ſibi ab hoc ipſo capitulo permiſſa utentes, qua poſſint feſtivitates in ſuis diœceſibus inſtituere. Et vero feſta, quæ in hoc capitulo enarrantur, ea ipſa ſunt, quæ hoc ſæculo paſſim celebrabantur, ut legenti locum citatum patebit. Licet vero Juri canonico inſertum ſit, auctoritatem tamen ſingularem non habet, eoquod GRATIANI decretum eatenus ſolum valeat, quatenus eorum valet auctoritas, quos refert. Quare libere ſemper epiſcopi in ſuis diœceſibus feſta hic notata, aut non ſuſceperunt, aut nova addiderunt.

De feſtis B.V. & apoſtolorum.

X. Quatuor B. M. V. feſta Aſſumtio, Annunciatio, Purificatio, ac Nativitas, quæ antiquiora habentur, diverſis in locis varias habuerunt origines, Sæc. IX. demum & X. ſimul undique recepta. Eandem diverſitatem in feſtis peculiaribus apoſtolorum obſervare licet, ita ut ſæc. X. & XI. demum omnium apoſtolorum ſingularia reperiantur feſta. Cum antiquiſſimo more eorum, quorum nulla diſtincta haberetur feſtivitas, ſub una communi agerentur, vel cum feſto apoſtolorum PETRI & PAULI,

vel

vel PHILIPPI & JACOBI, hodieque tempore paſchali generale de SS. Martyribus, atque etiam apoſtolis officium habetur. Qua in re duo indicia antiquitatis non modicæ habentur: primum, quod de confeſſoribus, & virginibus non idem fiat; unde conjicere licet hunc morem obtinuiſſe antequam de confeſſoribus, & aliis Sanctis feſta invecta ſint: alterum, quod idem fere ſit apoſtolorum & martyrum officium, cum primis temporibus apoſtolorum etiam memoriæ ſub martyrii & paſſionis nomine venerint: primumque in legibus Imperatorum (ut in codice titulo de feriis) paſſionis apoſtolorum diſtincta mentio occurrat. De more tempore paſchali commune cantandi officium Micrologus (*a*) teſtatur Ivo nimirum Carnotenſis, qui ſub pontificatu GREGORII VII. floruit. *Sciendum autem*, inquit, *quod antiqui de Sanctis communiter in Paſchalibus cantare ſolebant. Unde & adhuc de uno, quæ ad plures pertinent, cantantur. Et hoc ideo, quia univerſali reſurrectione, cujus typus eo tempore agitur, communis eſt lætitia, & feſtivitas juſtorum. Ideo etiam invenitur in martyrologiis, ſive ſacramentariis: feſtivitas ſanctorum Jacobi & Philippi, & omnium*

(*a*) C. 15.

omnium apostolorum. Adhuc sæculo duodecimo non eandem ac uniformem fuisse rationem celebrandi festa apostolorum, patet ex quodam concilio in Galliis ab INNOCENTII III. legatis celebrato, ubi hæc habentur: *Duodecim apostolorum, & maxime SS. Petri & Pauli, Bartholomæi, Mathæi, Simonis & Judæ, qui sua prædicatione mundum illuminarunt:* Hinc colligi potest, reliquorum apostolorum, aut non ubique, aut impari solemnitate fuisse celebrata festa singularia; sicut nec hactenus in omnibus ecclesiis omnium apostolorum festa ferianda præcipiuntur.

Sæculo XIII. &c. dierum festorum accumulatio.

XI. A sæculo decimo tertio mirum in modum festorum numerus accumulari cœpit. Nihil hic dicam, quæ GREGORIUS IX. tit. *de Feriis cap. fin.* de illis diebus, quibus judicialis strepitus conquiescere debeat, habet, cum fortassis minus plenæ feriæ, quoad forum tantum judiciale sint. Primum hic in medium afferam præceptum antiquum (*a*) ab editore Conciliorum Dn. *Guilielmo* BESSIN ex codice 400. exscriptum numero LXV. cujus iste titulus: *Ex synodo Lateranensi* (*b*) *de temporibus feriandis per annum. Pronuntiandum est laicis, ut sciant*

a

b

(*a*) Syn. Rotom. P. II. f. 61.
(*b*) Alii Codices habent: *Lugdunensi.*

ſciant tempora feriandi per annum, id eſt, omnem diem Dominicam a veſpera ad veſperam. Feriandi vero per annum iſti ſunt dies. Natalis Domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis Evangeliſtæ, ſanctorum Innocentum, ſancti Sylveſtri, Circumciſio Domini, Epiphania, Nativitas Beatæ MARIÆ, Annuntiatio, Purificatio, & Aſſumtio ipſius, dies Paraſceve cum omni honore & reverentia, ſanctum Paſcha cum duobus ſequentibus diebus ad minus, Aſcenſio Domini, Inventio ſanctæ Crucis, ſancti dies Pentecoſtes, ſancti Joannis Baptiſtæ Nativitas & Decollatio, duodecim apoſtolorum & maxime ſanctorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Philippi & Jacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, qui ſua prædicatione mundum illuminarunt, ſancti Laurentii, ſancti Michaelis archangeli, & S. Romani, Dedicatio cujuslibet oratorii, & omnium Sanctorum, & ſancti Martini, & ſanctæ MARIÆ Magdalenæ, & illæ feſtivitates, quas ſinguli presbyteri in ſuis parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis tantum commorantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus. Reliquas feſtivitates per annum non ſunt cogendi ad feriandum, ſed monendi, ut morem antiquum obſervent. In eadem (*a*) conciliorum a

(*a*) Ib. P. II. 39.

rum Rotomagensium collectione *de feriandis per annum*, ut titulus stat. XXIV. præfert, hæc habentur iisdem concepta verbis, ac præcepta antiqua PETRI de colle medio inter Rotomagenses synodos a laudato auctore etiam edita. *Pronunciandum est laicis, ut sciant festa ferianda per annum. Primo omnes dies Dominicales, Nativitas Domini, festa sanctorum Stephani, Joannis, Innocentium, Thomæ martyris in omnibus: S. Sylvestri mulieribus. Circumcisio, Epiphania in omnibus; S. Hilarii mulieribus; Sebastiani & Fabiani, ut Dominica; S. Agnetis mulieribus; S. Vincentii, ut Dominica: in Conversione Pauli post Missam operatur pro DEO; Purificatio Beatæ MARIÆ, ut Dominica; S. Blasii, S. Agathæ mulieribus; S. Petri ad Cathedram, S. Mathiæ, ut Dominica; S. Albini mulieribus; S. Gregorii clericis; Annuntiatio, ut Dominica; dies Veneris Crucis adorandæ, Resurrectio Christi cum duobus sequentibus; S. Marci Evangelistæ, ut Dominica; S. Ambrosii clericis, apostolorum Philippi & Jacobi, Inventio sanctæ Crucis ut Dominica; dies Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, festum Eucharistiæ, Dedicatio cujuslibet oratorii; S. Barnabæ apostoli; Nativitas S. Joannis Baptistæ, ut Dominica: S. Johannis mulieribus; Festum SS. Petri*

&

& Pauli, Inventio reliquiarum Bajocensium, ut Dominica; in translatione S. Martini post Missam operatur pro DEO; in festo S. Clari similiter; S. Margarethæ mulieribus; S. Magdalenæ, S. Jacobi, S. Petri ad vincula, S. Laurentii, Assumtio Virginis MARIÆ, S. Bartholomæi, ut Dominica; S. Augustini clericis: in decollatione S. Joannis licebit post Missam quadrigare tempore necessario; Nativitas S. MARIÆ, Exaltatio sanctæ Crucis, festum S. Matthæi, S. Michaelis, ut Dominica; S. Hieronymi clericis; S. Dionysii, ut Dominica; in festo S. Michaelis, quod dicitur parvum, pro DEO post Missam operatur; S. Lucæ, apostolorum Simonis & Judæ, & omnium Sanctorum, ut Dominica; S. Clementis, aratur post Missam pro pauperibus; S. Catharinæ, clericis, & mulieribus; S. Andreæ, S. Nicolai, Conceptio B. MARIÆ, & festum S. Thomæ, ut Dominica observetur, & etiam festivitates, quas singuli presbyteri in suis parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis commorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas autem festivitates per annum cogendi non sunt ad feriandum, sed monendi sunt, ut morem antiquorum observent. Hæc ibi: quæ cum plurimum distent ab iis, quæ in *Collectione Labbeana T. XI. c. 67.* habentur,

tur, atque etiam in *MS. Bigot.* desint, assutitia *Guilielmo* BESSIN videntur. Sunt autem in editione Labbeana (similiter etiam novissima Veneta) ea ipsa recensita festa, quæ paulo ante ex Rotomagensibus institutis descripsimus, ipsissima, quæ passim etiam hodie solent celebrari; unde longe verisimilius est, ea genuina esse. Attamen ex catalogo eorum festorum, quæ in diœcesi sua 1522. supprimi fecit episcopus Rotomagensis, claret, magnum numerum fuisse in hac ecclesia festorum, ac majorem quidem, quam prima nostra recensio præseferat. Sunt autem festa suppressa isthæc: Festum Cathedræ S. PETRI, festum Inventionis S. Crucis, S. Jo. ante portam latinam, SS. GERVASII & PROTASII, S. ELIGII in Junio, S. MARTIALIS in Julio, translatio S. MARTINI in Julio, S. PETRI ad vincula in Aug. Inventio S. STEPHANI in Aug. Dies mortuorum post servitium divinum, S. CLEMENTIS, S. THOMÆ martyris feria IV. post Pentecosten. Unam adhuc festorum recensionem faciam ex Anglicana ecclesia, synodo nimirum Oxoniensi an. 1222. exscribam autem ex editione conciliorum Veneta; in editione enim Anglicana integrum caput istud desideratur, unde fortassis etiam suppositi-

tium

tium est: unde quis conjiciat, quam mala fide festorum multitudo inducta sit: *Statuimus, quod festa subscripta sub omni veneratione serventur, videlicet omnes dies Dominici, quinque dies Natalitii, Circumcisio, Epiphania Domini, omnia festa Beatæ MARIÆ, præter festum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur necessitas, Conversio S. Pauli, Cathedra S. Petri, festum omnium apostolorum, festum S. Gregorii, dies Parasceves, feria 2. 3. & 4ta in hebdomada Paschali, dies Ascensionis Domini, feria 2. 3. & 4ta in hebdomada Pentecostes, festum S. Augustini in Majo, duo festa S. Crucis, translatio S. Thomæ Martyris, utrumque festum S. Joannis Baptistæ, festum S. Margarethæ, S. Mariæ Magdalenæ, festum S. Petri ad vincula, festum S. Laurentii, festum S. Michaelis, festum S. Edmundi confessoris, & S. Edmundi Regis, & Martyris, festum S. Catharinæ, festum S. Clementis, festum S. Nicolai, festum Dedicationis cujuslibet ecclesiæ in sua parochia, quodlibet festum illius Sancti, in cujus honore fundata est ecclesia. Volumus etiam, ut alia festa a rectoribus ecclesiarum, & capellanis in obsequio divino & laude devotissime celebrentur, minoribus operibus servilibus secundum consuetudinem loci, illis diebus interdictis, festum SS. Fabiani & Sebastiani,*

ni, S. Agnetis, S. Vincentii, S. Blasii, S. Agathæ, S. Felicis, S. Georgii, S. Jo. ante portam latinam, S. Dunstani, S. Albani, S. Emeldridæ, Inventionis S. Crucis, S. Stephani, S. Hieronymi, S. Fidei, dedicatio S. Michaelis in monte Tumba, S. Dionysii, festum animarum, S. Cæciliæ, S. Luciæ, S. Leonardi. Hæc sunt festa, in quibus post Missam opera rusticana concedimus, sed antequam non. Octava Epiphaniæ, SS. Joannis, & Pauli, translatio S. Benedicti, translatio S. Martini. In concilio Coloniensi an. 1307. post longum festorum catalogum subditur de aliis: *Omnia vero festa, prædictis exceptis, non præcipimus solemniter celebrari, sed devotioni hominum relinquatur, ita quod, qui noluerit ea celebrare, propter hoc non culpam, nec pœnam incurrat. Proviso tamen, quod in dictis festis, & in aliis infrascriptis, videlicet Fabiani &c. novem lectiones observentur. Ita tamen festa nunc ultimo posita, nolumus, ut populus, cessando a suis operibus, celebrare teneatur.* Apud Græcos non minus successu temporis dierum festorum numerus accrevit; producit enim Balsamo ex Imperatoris *Manuelis* Comneni novella, quæ mense Martio anno mundi 6674. emissa fuit, catalogum omnium totius anni festorum. Sunt autem duas in classes tri-

tributa: alii dies ſunt τελέως ἄπρακτοι, omnino feriati, cujusmodi XXXVII. enumerantur: alii πῶς μὲν ἄπρακτοι, πῶς δὲ ἔμπρακτοι, partim feriati, partim non, quales ſunt recenſiti XXVII. quos omnes apud BALSAMONEM enarratos videre licet.

XII. Sola hæc enarratio & conſpectus, quemadmodum primum exiguus feſtorum numerus ſuccedentibus ſæculis ſemper auctus fuerit, invictum præbet argumentum pro theſi, quam propugnamus de minuendo feſtorum numero: quo enim propius ad apoſtolorum tempora accedimus, quando chriſtiani ſanctitate præcipua fuerunt, totos ſe ſervitio, cultui divino, mancipaverunt, eo minor feriarum numerus deprehenditur; quo deinde magis ſemper charitas, & pietatis fervor refriguit, eo plura feſta ſunt inſtituta; tantum abeſt, ut eorum multitudo religionis, devotionisque ardorem accenderit, aut obſervantiæ erga divinum Numen aliquid accreverit. Et quis ſibi non temporum apoſtolicorum, illisque proxime ſuccedentium veſtigiis inſiſtere, putet eſſe longe tutiſſimum: talis autem erit in conventibus eccleſiaſticis, publicisque ſynaxibus aſſiduus, perſeverans in ora-

Argumentum ex paucitate dierum feſtorum primis ſæculis, deque recto feriarum uſu.

tione & fractione panis, non item de otio & vacatione a labore admodum solicitus, cui non adeo multum cultus divini, & pietatis inest; quin veris religionis operibus incumbet, quorum potissimum causa festi dies statuuntur, ac otium sacrum, non pigrum, suscipiet, de quo solo cogitarunt primi fideles, quoque unice vera dierum festorum sanctificatio transigitur. Quod studiose sunt monendi fideles. Scilicet juxta Conc. Colon. an. 1536. P. IX. c. 9. *Cur feriæ & potissimum dies dominicus, qui a temporibus apostolorum in ecclesia DEI semper celebris fuit, institutæ sint. Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque sacrum, & communicandum: breviter ad vacandum DEO soli, ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis & canticis spiritualibus transigatur. Hoc enim est sanctificare sabbatum.*

CAPUT III.

Quatenus a quatuor fere sæculis in diminuendo nimio festorum numero allaboratum sit.

I.

Neglectus veri finis feriarum,

Cum jucunditate recolimus, verba sunt epistolæ pastoralis *Josephi* WILHELMI

HELMI, episcopi Basileensis circa ritum celebrandi festa, *priorum temporum in ecclesia DEI devotionis fervorem, quo Christi fideles tum residuos in terris Sanctorum cineres, tum gloriose in cælis regnantes Beatorum animas sibi demereri consueverunt. Festiva nimirum Sanctorum veneratio in Romano-catholica ecclesia contra inquietos hæreseos spiritus omni tempore ardenter propugnata: item sublimis ille, quem pro merito in Sanctis extollimus, vitæ in heroicarum virtutum exercitio mirabiliter transactæ tenor: denique prodigiosi favores & beneficia, devotis cælestium patronorum clientibus a DEO copiose affluentia, in christiano illo populo primum quidem admirationem, tum fiduciam, & cultum, pietatisque studium adeo inflammarunt, ut si Sancti cujusdam annua memoria celebraretur, amœnissimo spectaculo templa in noctem usque undarent cultoribus: sacra tribunalia maderent pœnitentium lachrymis; supplicum preces, & laudes Eucharistiæ pulcherrimo ordine consonarent: ea una omnium esset contentio, ut quis alteri in virtutum propositarum imitatione primas præriperet. Tantus devotionis ardor non poterat non intime afficere sacros ecclesiæ, & diœcesium antistites, eosque inter dulcia solatia, & sanctas continui incrementi spes suaviter inclinare,*

& malus usus locum dedit ad eorum numerum minuendum.

ut alios quidem dies Sanctorum honoribus festive impendendos præciperent, alios vero a singularibus communitatibus solemnius haberi cœptos, festorum catalogo adscribi permitterent, non sine felici omnigenæ virtutis augmento, quamdiu festorum numerus intra moderationis limites se continuit. Verum ubi solemnitatum festivarum frequentia vere ad excessum introduci est cœpta, mox charitatis fervor intepescere, pietatis, devotionisque studium imminui: otium econtra, & otii individui comites, scelera, cum magno pastorum mœrore, majori Sanctorum cœlitum injuria, maximo divinæ gloriæ dispendio nimium quantum invalescere dolenter animadvertebatur. Hactenus præsul ille vigilantissimus, & piam olim in festorum institutione intentionem, & impios ob nimiam eorum accumulationem abusus graphice descripsit, qui non potuerunt non eo adducere omnium sententiam & opinionem, ut causam malorum, non attento pietatis & religionis prætextu, tollendi sapientissimum consilium caperent.

Doctores, qui nimiam festorum multitudi-

II. Nec defuerunt, ab illis temporibus, quibus contra antiquum usum, & morem festa multiplicari cœperunt, qui carperent festorum multiplicationem.

Jam

Jam ſæculo duodecimo ineunte POTHONEM (*a*) Prumenſium presbyter monachis vitio vertit, quod novas quasdam inſtituerint celebritates. *Miramur ergo ſatis, quod viſum fuerit hoc tempore quibusdam monaſteriis mutare colorem optimum novas quasdam inducendo celebritates. Numquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? Superba mente præſumimus, quidquid ipſorum in talibus prudentia præterivit. Neque vero nos in hujusmodi aliquid invenire poſſumus, quod illorum quiverit diligentiam præteriiſſe, quæ igitur ratio hæc feſta celebrandi nobis induxit?* Hæc ad verbum fere repetit, & exſcribit S. BERNARDUS (*b*) quadraginta fere poſt POTHONEM annis ad canonicos Lugdunenſes de Conceptionis B. V. feſto ſermonem habens, atque in proſecutione epiſtolæ, *Patriæ eſſe*, dicit (*c*), *non exilii, frequentiam hanc gaudiorum: numeroſitatemque feſtivitatum cives decere, non exules.* Sequenti ſæculo paulo poſt Concilium Lateranenſe IV. ſub INNOCENTIO III. auctor operis tripartiti, quod in Colonienſi an. 1551. conciliorum editione huic concilio adjunctum eſt, itidem

nem improbarunt; paſtores, qui eam abrogarunt.

b

c

(*a*) L. 3. de ſtatu Domus DEI.
(*b*) Epiſt. CLXXIV. Ed. Nov. T. I. pag. 169. n. 1. l. c.
(*c*) Ib. n. 6.

dem in festorum numerositatem invehitur. S. ANTONINUS in sum. Theol. P. II. Tit. 9. c. 7. Sæc. 15. attestatur: *Quædam alia festa, quæ erant in præcepto, sunt abrogata per contrariam consuetudinem, ut communiter dicitur, quoad cessationem ab operibus. Et isti sunt tres dies Rogationum. Item septem dies Passionis, & septem Resurrectionis, id est, hebdomada Paschæ, erant antiquitus in præcepto ut patet de Consecr. dist. 3. Pronuntiandum; sed hodie non servantur.* Ad initium sæculi XV. GERSON sermonibus in conciliis Remensi an. 1408. & postea Constantiensi de minuendo festorum numero, quod in votis habuit, libere edixit. Eidem concilio *Petrus de* ALLIACO jussu SIGISMUNDI Imperatoris de reformatione ecclesiæ librum scripsit, Patribusque Constantiensibus obtulit, ubi inter alia providendum vult, *ne tot nova festa solemnizarentur*, ut illius verba habent. His contemporaneus *Nicolaus de* CLEMANGIS singulari tractatu de novis festis non instituendis agit, ubi sæpe consilium de minuendo festorum numero dat: cum jam, ut ipse testatur, eo tempore MICHAEL Altisiodorensis archiepiscopus congregata provinciali synodo multa festa abolevisset, an. nimirum 1409. quem deinceps acervatim

alii

alii secuti sunt episcopi in suis synodis, aut statutis, medio eodem sæculo synodalia Lexoviensis ecclesiæ statuta. Ad finem ejusdem sæculi an. 1493. idem præstitit synodus Meldensis 1522. item 1526. in provincia Rotomagensi (*a*) magnus festorum numerus abolitus, quem videre licet apud Dn. *Guilielmum* BESSIN, & nos superius quædam in hanc rem excerpsimus. An. 1524. in synodo provinciali Senonensi. An. 1525. Cardinalis de Longueuille, episcopus Aurelianensis in statutis diœcesanis. An. 1526. in synodo Carnotensi. An. 1528. in provinciali synodo Bituricensi. An. 1531. in statutis synodalibus episcopus Bellovacensis. An. 1556. episcopus Deensis, & VALENTINUS an. 1565. in concilio Cameracensi an. 1583. in concilio Burdigalensi, quamvis non in omnibus hujus concilii editionibus istud statutum appareat, comperimus tamen in editione Veneta T. XXI. Col. 753. quos reliqui deinceps secuti sunt episcopi Galliarum: Santonensi, & Rupellensi etiam publicis scriptis, quibus hæc festorum immutatio defenditur, literis pastoralibus auctoritatem præstantibus; unde non pauca episcoporum statuta

(*a*) Ed. Conc. Rotom. P. I. p. 129. P. II. 108. 207.

in hanc rem mihi innotuerunt. Neque in Germania noſtra, aliisque Europæ regionibus deſunt, aut defuerunt, qui hoc conſilium inirent. In concilio Salisburgenſi an. 1456. inter aviſamenta generalia totam provinciam reſpicientia id etiam ponit, ut *hoc ſacratiſſimum concilium compeſcat plurima feſta ignotorum Sanctorum, ut ferias quintas paſchæ &c.* In Conſtitut. Card. CAMPEGII legati ad Germaniam de latere an. 1524. id etiam vigeſimo loco habetur, feſtorum multitudinem conſtringendam eſſe &c. An. 1549. concilium Trevirenſe ægre numerum feſtorum creviſſe admodum vidit, operæ pretium proinde viſum eſt Patribus, feſtorum numerum contrahere. Id quod tunc parcius, noſtra vero ætate juxta præſcriptum Romanæ eccleſiæ collata etiam ad hanc rem ſtudia fuerunt ab epiſcopis Leodienſi, Argentinenſi, Baſileenſi, Lauſanenſi, Bambergenſi, Viennenſi & Conſtantienſi, quorum illi jam effectum iverunt, hi attentarunt, deſtinaruntque conſilium nimia abrogandi feſta. Quique ſapientiſſime PETRI navem rexit BENEDICTUS XIV. ipſo opere in eccleſiis ſuburbicariis multitudine feſtorum ſublata, animi ſui ſententiam, & voluntatem abunde patefecit: cujus veſtigia ſi reliqui

qui ſequerentur epiſcopi, eadem conſilia cum ſupremo capite in omnibus foventes, unamque ac conformem eccleſiæ faciem in feſtis celebrandis inducere ſatagentes, ad eccleſiæ decorem, & ornatum multum ſane conferrent, atque opus egregium facerent. Catalogum variorum orbis chriſtiani diœceſium, qui hoc jam inſtituerunt habes apud MURATORIUM ad calcem apologiæ pro diminutione feſtorum.

III. Inter Romanos Pontifices jam EUGENIUS IV. circa medium Sæc. XV. quædam feſta abrogavit, ut BENED. XIV. (*a*) in Diſſert. de feſtorum de præcepto imminutione teſtes adducit, imprimis *Alphonſum* de CASARUBIOS in compendio privilegiorum verb. *Feſtivitas p.* 252. ubi hæc habet: *Eugenius IV. dixit, quod ſæculares laborantes in feſtis ſanctæ Crucis & ſancti Michaelis Septembris, & ſanctorum Innocentium, ac ſancti Sylveſtri, non vult, quod peccent mortaliter, niſi venerint in Dominica.* Quod iſte viva voce URBANUS VIII. poſtea ſingulari bulla an. 1662. quæ extat 291. T. V. bullarii, egit, interpellatus a plurimis archiepiſcopis & epiſcopis. *Plurimorum*, inquit, *venerabilium fratrum noſtrorum archiepiſcoporum & epiſcoporum per varias regiones con-*

Imprimis Romani Pontificis.

a

(*a*) T. IV. Oppoſ. p. 687.

constitutorum relatione ad nos pervenit, festorum multitudinem per singulas eorum diœceses atque provincias adeo crevisse, devotione atque consuetudine nova indies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quænam ex præcepto, quæve ex libera cujusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorundem numerositatem tepescente. Quin imo & clamor pauperum frequens ascendit ad nos eandem multitudinem, ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem sibi valde damnosam conquerentibus; & quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri mærore didicimus, tanta sæpe sæpius machinatum inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in ecclesiis DEUM populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident &c. Nos itaque volentes ex debito pastoralis officii providere, & sanctificationis festorum certum deinceps firmare præceptum. Certum igitur determinavit numerum feriandorum edita in publicum illa constitutione, quæ, dum ante promulgationem satis denunciata non fuit, nec ullo modo denunciari poterat omnibus catholici orbis episcopis, qui ad ipsam observandam adigebantur, in aliquibus regionibus graves nacta est difficultates,

ut

ut testatur BENEDICTUS XIV. in laudata dissertatione *n.* 29. Qui examinandum perpendendumque sibi proponens, an e dierum festorum indice aliqui sint eliminandi in URBANI VIII. constitutione recensiti *n.* 16. ita statuit: *Quodsi fiat*, inquit, *idem prorsus continget, quod factum ab Urbano VIII. in sua constitutione fuit. Certum enim est, olim integram paschatis hebdomadam, tres Rogationum dies, sancti Martini diem in præcepto fuisse, ut legitur in Can.* Pronuntiandum *de Consecrat. dist.* 3. *insuper festum etiam habitam fuisse majorem hebdomadam, ut continetur in cap. Conquestus, de feriis. Dies quoque S. Francisci inter festos a Sixto IV. fuit adnumeratus, confirmatusque a Gregorio XV; nihilominus satis exploratum est, nullum horum festorum dierum in indice describi, qui in constitutione Urbani VIII. referuntur.* Id quidem etiam sciscit, post bullam URBANI VIII. jam penes episcopos haud esse, peculiari auctoritate festorum dierum numerum in sua diœcesi præscribere. Certatim vero recurrerunt ad Romanam sedem sub BENEDICTO XIII. & XIV. Hispaniæ & Poloniæ episcopi: refert BENEDICTUS XIV. in sæpe laudata dissertatione *n.* 26. 27. integram synodi provincialis Tarraconensis epistolam seu libellum pro istiusmodi

modi feriarum diminutione, unacum responsione pontificis, qua illud haud gravate indulget. Ipse vero BENEDICTUS XIV. qua ratione eandem ob causam, cumprimum ad Romanam sedem fuit evectus, frequenter sit interpellatus, mox principio dissertationis de festorum ex præcepto imminutione. *Vix*, inquit, *ad hanc supremam sedem evecti sumus, cum statim solicite postulatum est, ut festi imminuerentur dies; quæ res nobis accidit minime nova: nam cum Bononiæ moraremur, nonnulli Lombardiæ episcopi ad nos confugerant, ut primariam hujusce postulationis partem apud Pontificem ageremus. Assiduum ac vehemens nobis super hac re studium significavit Siciliarum Rex; cujus voluntati favent non solum totius regni episcopi, verum etiam Cardinalis archiepiscopus Neapolitanus, & archiepiscopus Tarentinus. Copiosisque scriptis ad nos missis huic sententiæ accedit, idemque urget Bambergæ episcopus ac princeps, qui non modo pro sua diœcesi, sed pro universa Germania postulavit.* Inter alias quæstiones, quæ circa hanc materiam discutiendas idem ad calcem ejusdem dissertationis proponit, ultima est, utrum novam apostolicam constitutionem edere necesse sit; an (facultate in aliqua diœcesi permissa, quæ observationem certo polliceatur)

ex-

exſpectandum ſit ab aliis diœceſibus eandem facultatem expoſci, eo ſemper animo, ut in illas quoque extendatur pro quibus epiſcopi facultatem ipſam poſtulaverint. Ac ſubdit exemplum facultatis a ſe conceſſæ epiſcopo Calaguritano; cujusmodi ſimilis data eſt pro nonnullis univerſitatibus & hominibus diœceſis Pampilonenſis, & Pacenſis an. 1742. Eſtque etiam Imperatrici ac Reginæ Ungariæ & Bohemiæ data Viennæ, a TRAUTSONIO archiepiſcopo publicata an. 1754. ſed parum profecit ob motus populares. Nec archiepiſcopus FIRMANUS ſimili indulto oblato obtinere potuit a ſuis ſuffraganeis aut etiam diœceſanis, ut ea uterentur, licet in aliis variis diœceſibus ſtatus eccleſiaſtici, uti etiam in aliis Italiæ, ſit recepta. Multorum epiſcoporum animos alienos ab hoc conſilio fecit imprimis Card. QUIRINI, qui ſtandum decreto URBANI VIII. omnino contendit illud ingeminans *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt ab Urbano VIII.* in binis ad Card. BORGIAM, archiepiſcopum FIRMANUM epiſtolis, quæ habentur in collectione ſcriptorum ad diminutionem feſtorum de præcepto ſpectantium, ed. Luccæ an. 1748. unacum reſponſione archiepiſcopi. Ejusdem item Cardinalis epiſtola ad *Bern. de* FRANCHEN-

CHENBERG, abbatem monasterii Desertinensis: ubi aggreditur, quæ MURATORIUS scripsit pro diminutione feriarum in opusculo *Della regolata Divotione de' Christiani*, sequitur vero ejusdem MURATORII prolixa & solida defensio tum causæ suæ, cum etiam personæ BENEDICTI XIV. qui idem sibi ac URBANUS VIII. jus in diminuendis festis merito usurpavit. Nota, nihilominus Romæ fuisse viros doctos, qui quæ QUIRINUS (*a*) scripsit contra archiepiscopum FIRMANUM, probarint VALENTI, ANTONELLI, LERCARI, GIORGI, SERGIO, *Galli* BALDINI, GIULII præclara nomina, quæ recenset in epistola sua laudatus QUIRINUS.

Quia non solum a fine celebrandorum festorum turpiter abitum est, sed etiam occasionem multorum malorum præbent, eorum multitudo

IV. Attamen multæ & graves summo, aliisque ecclesiæ pastoribus, qui nimiam festorum numerositatem rescindendam putarunt, extiterunt causæ. Paucis omnia complexus est BENED. XIV. (*b*) in dissertatione de festorum de præcepto imminutione *n.* 5. *Ut autem*, inquit, *clarius appareant, quæ super hac re proponuntur, ad hæc capita possunt revocari, videlicet ad contemptum eorum, quæ diebus festis fieri deberent, nec tamen fiunt;* ad

(*a*) Racolt. p. 66.
(*b*) T. IV. Opp. p. 684.

ad intemperantiam & ebrietatem, quæ diebus festis frequentior est, quam profestis; & ad gravissimum damnum, quod in magnam hominum partem manat, qui cum non possint diebus festis se operibus exercere, interclusam habent viam ad victum sibi parandum, suasque familias sustentandas, quæ incommoda nimio festorum numero adscribuntur. Provocat ad sermonem, quem an. 1332. in synodo Magfeldensi habuit SIMON (*a*) Cantuariensis archiepiscopus in hac ipsa materia de pia festorum institutione celebrationeque apud christianos. Sic autem ille: *Inconstantia tamen humana, ut plerumque, in deteriora labente, quod in electorum DEI receptum erat honorem, conversum est in blasphemiam & abominationem: dum videlicet conventicula negotiationis & alia exercitia illicita diebus hujusmodi potissime ingeruntur: quod vero ad devotionis parabatur compendium, in dissolutionis exigitur cumulum: dum in ipsis festivitatibus taberna potius quam ecclesia comessationes & ebrietates uberius abundant, quam lacrymæ & orationes; lasciviis insistitur & contumeliis, magis quam otio contemplationis. . . . nec propter DEI honorem sicut deceret, sabatizant; sed etiam, juxta præmissa, Dominum ipsum,* abrogata est.

F &

(*a*) T. XV. Conc. ed. Ven. p. 413.

& sanctam ecclesiam in diebus hujusmodi (per) abominationes suas pessimas scandalizant, tanquam solemnitates ipsæ ad profanationis, & perversitatis exercitium gratis fuerant institutæ. Quodsi primo finem, & causam instituendi festa nobiscum reputemus, deinde vero, qua ratione ea transigantur, consideremus, facile judicabimus, consultius longe esse, tot festa non esse, quam tantas eorum profanationes
a fieri. S. IGNATIUS (*a*) vult nos esse *κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες*, viventes secundum diem Dominicum. Quod pulchre illustrat CLEMENS *Alexandrinus* referente *Jo. B.* COTELERIO. *Exequens*, inquit, *præceptum evangelii, facit illum diem Dominicum, quo malam abjecerit animi sententiam, & acceperit eam, quæ est ex cognitione, eam, quæ est in ipso Domino glorificans resurrectionem.* Adhuc clarius
b *Festum*, inquit ORIGENES (*b*), *quidam Sapiens Græcorum pulchre edixit, nihil aliud est, quam officium facere: & vere Festum cele-*

(*a*) Epist. ad Magn. n. 9.

(*b*) L. VIII. contra CELSUM: Ἑορτὴ, ὡς φησίτις καὶ τῶν ἑλληνικῶν σοφῶν, καλῶς λέγων, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ τὸ τὰ δέοντα πράττειν, καὶ ἑορτάζειν κατ' αλήθειαν, ὁ τὰ δέοντα πράττων, ἀεὶ εὐχόμενος, διὰ παντὸς θύων τὰς ἀναιμάκτους ἐν ταῖς πρὸς τὸ θεῖον εὐχαῖς θυσίας.

celebrat, quisquis facit, quod debet, semper vacans precibus, continenter incruentas victimas offerens DEO suis precantibus. Hæ igitur curæ christianorum, & labores, ac studia diebus festis esse debent, ne gentili potius, aut judaico more festa agere videamur, immo ne ab his etiam superemur in observantia festorum. De Græcorum Panathenæis, Eleusiniis, aliisque sexcentis testatur STRABO(*a*), *τὰς ἱεροποιίας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι* *Sacra curari cum laborum intermissione solemni*, & *Servius* HONORATUS (*b*) *Pontifices*, inquit, *sacrificaturi præmittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices assidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio suo, & ipsorum oculos, & Deorum ceremonias contaminent: feriæ enim operæ Deorum creditæ sunt.* De Judæis in vulgus constat, quam superstitiosi etiam fuerint in festorum observatione, quod cessationem a labore attinet. *Attamen magis nobis*, inquit AUGUSTINUS (*c*), *præcipitur, quia spiritualiter præcipitur. Judæi enim serviliter observant diem sabbati ad luxuriam, ad ebrietatem: quanto melius fæminæ eorum lanam facerent, quam illo die in neomeniis saltarent? absit fratres, ut illos dicamus observare Sabbatum. Spiritualiter observat Sabbatum christianus,*

a

b

c

(*a*) Lib. X. (*b*) Serv. ad Georgic. I.
(*c*) In Evang. Joan. Tract. III.

abstinens se ab opere servili? Quid est enim ab opere servili? a peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. *Ergo & nobis præcipitur spiritualiter observatio Sabbati.* Idem in psal. 91. *Sabbatum*, inquit, *in præsenti tempore otio quodam, & languido, & fluxu, & luxurioso celebrant Judæi. Vacant enim ad nugas: & cum DEUS præceperit observari sabbatum, illi in his, quæ DEUS prohibet observant sabbatum. Vacatio nostra a malis operibus, vacatio illorum in malis operibus est: melius est enim arare, quam saltare.* Utinam quæ de Judæis dicit AUGUSTINUS, non ad christianos jam pertinerent, hique etiam fœde adeo festa contaminarent, pium eorum usum perverterent: communis est hæc pastorum dominici gregis querimonia: *Tametsi*, verba sunt Synodi Burdigalensis, (*a*) *Dominici, Festique dies ad hoc unum instituti sunt, ut fideles christiani ab externis, quæstuosisque operibus abstinentes, liberius & majori cum pietate divino cultui, atque infinitis divinæ bonitatis erga genus humanum recolendis beneficiis vacarent, sicque salutaribus religionis officiis occupati sedulo caveant, ne quod Philippenses monet Ignatius, dies Festos ullo dedecore, injuriaque*

(*a*) T. XXI. Conc. Col. 752. Tit. de Festis.

que afficerent: nihilominus nostris temporibus præposterе fieri solet, ut tam solemnes & religiosi dies non solum in illicitis, & secularibus negotiis procurandis, verum etiam in luxu, lascivia, jocis ac ludis vetitis, compotationibus ceterisque flagitiis exercendis toti transigantur &c. Equidem pastorum vigilantia, & solicitudo semper in id incubuit, ut tanta mala in festorum celebratione tollerentur, sed quo successu hodierni mores testantur. Ex CLEMENTIS XI. epistola encyclica an. 1703. ad patriarchas, archiepiscopos Italiæ aliqua hic excerpere juvat: in qua unumquemque pastorem monet, ut dierum festorum sanctificationi diligenter invigilet, sæpius monendo populum, quam gravis irrogetur divinæ Majestati injuria, dum sacri dies, illius honori speciali cultu dicati, in operibus non tantum servilibus, sed, quod pejus est, peccati labe sordidis insumuntur. Vult etiam populo sedulo inculcari, *Opera servilia*, sunt ipsissima Pontificis verba, *diebus festivis prohiberi, non ut otio indulgeatur, sed ut diuturnius tempus, & commodum spatium suppetat ecclesias frequentandi, divina officia, & verbum DEI audiendi, animas orationibus, sanctis Sacramentis, aliorumque piorum operum exercitatione reficiendi, ac demum unico, maxi-*

mique momenti ſalutis ſcilicet æternæ negotio, impenſius conſulendi: poſtea deplorat, acriterque invehitur in frequentem adeo feſtorum profanationem: *Hinc*, inquit, *facili negotio perſpicitur, quam præpoſterus, iniquus, ac incongruus ſit, heu nimium frequens! eorum abuſus, qui dies feſtos negotiationibus, ludis, aleis, crapulis, profanis amoribus, aliisque mundanis vanitatibus tranſigere non verentur. Quo fit, ut abominabiles DEI evadant dies feſti juxta tremendum prophetæ dictum;* odi, & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Atqui hæc cauſa jam ante CLEMENTEM URBANO VIII. extitit, quare de numero feſtorum figendo ſaltem cogitarit, *Quod magno*, ut verba conſtitutionis in hanc rem An. 1642. datæ habent, *animi ſui mærore didiciſſet tanta ſæpius malignum machinatum inimicum in ſancto, ut ipſa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in eccleſiis DEUM populi utantur, ſed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident, ita, ut quæ ad glorificandum divinum Numen primitus ſunt inſtituta, temporis decurſu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offenſionem, gravemque jacturam converterit animarum.* Eadem ratione inducti ſunt, quotquot epiſcopi in ſuis

diœ-

diœcesibus de festis aliquibus abrogandis consilium ceperunt, ut ex omnibus illis statutis elucescit, quorum paulo superius catalogum texuimus: & quoniam communis hæc pestis, atque serpens cancer ubique irrepsit, atque festorum observantiam infecit, sufficiens reliquis episcopis causa esse deinceps potest, idem in suis diœcesibus præstandi. Nimis longum esset omnium in hanc rem querelas exscribere, quibus hic festa minuenda censuit ob ea insolenter, & vitiose, malitioseque transigi solita; ille propter detestabiles insolentias, propter abusus ad otium, lusus, commessationes, lascivias; unus (*a*) ob irreverentiam, ac contemtum, quo non solum inertes, ac qui desidiæ, & ignaviæ deduntur, dies hujusmodi & ecclesiam, ecclesiæque præcepta spernant: verum etiam, ex bono sumta mali occasione, non sine scandalo, socordiæ, vaniloquiis, & lasciviæ homines vacent, seduli ad ludos, choreas, tabernas, ebrietates, luxurias &c. alter (*b*), quod plerique assuescerent his diebus otiositati, inertiæ, crapulæ, nundinationibus, blasphemiis, ludis illicitis, & lubricitatibus. Infinitus essem, si omnes ejuscemodi que-

a

b

(*a*) Synod. Metensis 1493.
(*b*) Stat. Aurel. 1525.

rimonias in medium afferre vellem, quibus tum episcopi ac synodi, cum etiam theologi adducti sunt, ut nimia festa abjicienda esse haud dubitarent: neque ullum episcopale aut synodale legitur statutum, in quo non ista ratio multis verbis acerbe perstringatur; unde melius visum, peccandi occasionem, ansamque eripere; cum nulla spes affulgeret populi in ordinem redigendi: hoc jam olim GERSON expedire judicavit, sic in concilio Remensi an. 1408. effatus: *Quid insuper de multitudine præceptiva tot festorum, quæ vel non observantur, & ita peccatur, vel egestati subditorum mechanicorum non sufficienter consulitur, vel pessimæ otiositati, quia nesciunt rurales bene uti, janua grandis aperitur. Subintroeunt consequenter magno agmine ebrietates, lusus improbi, expensæ sumtuosissimæ, choreæ plenæ peccatis, & insaniis, & carminibus blasphemis, immo per inquisitorem damnandis, dissolutiones quoque luxuriosæ: & ad breve tempus supergreditur malum omne: ita, ut quod pro honore DEI, & pro animarum salute fuit salubriter institutum, vertatur in contumeliam ejus, & salutis detrimentum.*

Causa altera festo- IV. Et quoniam ita natura comparatum est, ut vilescant nimis trita, ac usi

tata,

tata, mirum videri non debet, si hoc etiam in festorum frequentia acciderit. Hanc rationem jam *Nicolaus* de CLEMANGIS in suo libello de novis Festis non instituendis attigit. *Rara quippe*, inquit, *in pretio sunt, in honore habentur: usu trita quotidiano vilescunt. Non mandavit Moyses, immo Dominus per Moysem nisi tres annuas solemnitates præter sabbatismum per Israeliticum populum observari, & propterea ampliori cultu venerationis, majorique diligentia, ac frequentia ad templum plebs adoratura confluebat.* Hanc diminuendorum festorum causam Andomarensis diœcesis statuta an. 1583. etiam recensent: *Cum*, ajunt, *flacescens populi devotio dies festos, non raro ob illorum multitudinem, quæ videbatur, violaret: quin etiam illis abuteretur, sublata est hos observandi obligatio, quo tanto integrius, & exactius reliqui observarentur.* Hoc itaque sapientissimo consilio minorem dierum festorum numerum effecerunt præsules complures, ut tanto majori cum pietate observarentur: sic Patres Conc. Trevirensis an. 1447. c. 10. de moderandis festis: *Numerum*, inquiunt, *festorum crevisse admodum videmus, sed calentem fidelium devotionem frigescere, eoque verum esse, ut bona pars hominum omnia festa negligat,*

rum minuendorum, quod nimia copia contemtum, neglectumque pepererit.

idque impune, nec sine ecclesiæ dedecore. Concilium vero Cameracense an. 1565. *Quo majore*, inquit, *reverentia, & pietate queant observari ab omnibus: videant episcopi, sintne aliqui festi dies, quos præstet esse profestos, id est, ut vocant operarios, atque his diebus renuntient popularibus integrum esse operas consuetas exercere.* Idem in statutis episcopi S. MACLOVII 1618. secundo editis habetur. *Jacobus Nicolaus* COLBERTUS (*a*), archiepiscopus
a Rotomagensis optime advertit, nimiam multitudinem festorum abusus varios his temporibus in ea induxisse. *Une triste experience a fait connoître, que ce, qui avoit été d'abord établi par des vuës saintes, & religieusement observé dans les temps de ferveur, etoit devenu inutile dans la suite pour une partie des fideles, & une occasion de desordres & d'abus.*

Indigentia pauperum alia minuendorum festorum causa.

V. AUGUSTO, atque ANTONINO *Philosopho* sapientissimis imperatoribus, ut de illo SUETONIUS, de hoc CAPITOLINUS in eorum vita scribunt, ansam præbuit minuendi dierum festorum numerum, atque dies judiciarios omnino triginta addendi, *Ne quod*, ut ait SUETONIUS, *maleficium, negotiumque impunitate vel mora elaberetur; atque plures dies annui,* ut

(*a*) Synod. Rotom. P. II. fol. 206.

ut CAPITOLINUS refert, *rebus agendis, litibusque disceptandis essent.* Magis pia diminuendo festorum numero occasio apud christianos fuit, *Clamor*, utor verbis URBANI VIII. constitutione aliquoties laudata, *pauperum frequens, eandem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium.* Eadem, inter cæteras, ratione usa synodus Trevirensis an. 1549. *Pauperes*, inquit (*a*), *qui non habent, unde alant uxorem, & familiam, clamant, omnem fere cessationem damnosam sibi esse: operæ pretium proinde nobis visum est, festorum numerum contrahere, quo & effrenes coerceantur, & aliquid detur necessitati pauperum.* Occurrit in aliis compluribus statutis hæc eadem causa, quæ hic referre nihil opus; possunt enim legi in indicatis a nobis superius locis, quando synodorum, & statutorum diœcesanorum de festorum diminutione numerum quemdam inivimus. BENEDICTUS XIV. in differt. de Festorum de præcepto imminutione n. 7. id quod apud nos usuvenire quotidie cernimus ex eorum attestatione affert, *Qui regionum peritissimi sunt, in quibus Catholici & hæretici versantur: asserunt quippe Catholicos exiguis, hæreticos vero majoribus divitiis*

(*a*) T. XIX. Conc. Col. 1449.

vitiis affluere; ac proinde Catholicos satis angustè, hæreticos autem commode suis familiis consulere posse, cum majorum dierum numerus pro operibus conficiendis ipsis concedatur. MURATORIUS passim, dum de hac re tractat, rationem aliquam haud ineptam affert, cur aliquando pauperi plebi commodo potius venerit multiplicatio festorum, & forte ex sancta intentione a pastoribus fuerint introducta, quando adhuc servorum, quæ vocamus mancipia, *Leibeigene*, obtinebat conditio ad annum fere 1200. Dum Domini per tales servos agriculturam exercebant, atque etiam infimas mechanicas artes, unde nomen *operum servilium*. Ab iis operibus ergo, si frequens vacatio esset, revocillationi id miseræ plebeculæ fuerat, qui nihilominus sustentabantur a suis dominis, a quibus damnum ex festis redundans facile etiam ob rerum copiam poterat ferri. At quibus ex opere diurno est vivendum, sæpe contingit, ut ex feriarum copia id decedat, quod alendæ familiæ est necessarium: aut uxores cum filiis ac filiabus experiri cogentur, ut quod comparatum est diurnis laboribus a viro prodigo in cauponis abliguriatur diebus festis. In rurali opere haud raro aliud est periculum, quod, ut præ-

ver-

verteret CONSTANTINUS M. cujus legem ſupra attulimus, voluit ruri degentes etiam dominicis diebus libere vacare operi, *ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti proviſione conceſſa.* Idque conſilium fuit *Guilielmi* DURANDI jam Sæc. XIII. de modo general. Conc. celebrandi P. III. Rubr. 12. *Cum*, ait, *feſtivitates tempore meſſium & vindemiarum occurrentes, in prædictis temporibus in veneratione debita non habentur propter neceſſitatem gentibus ingruentem per locorum ordinarios tempore alio mutarentur.* At recte animadvertit MURATORIUS ſolem feſtorum translationem non ſufficere neceſſitatibus pauperum ruricularum. (*a*) *Chi è pratico de loro affari, ſa, che debbono arare e ritagliar le terre ſeminar groni e legumi in vari tempi, cavar foſſi, piantar alberi, potar le viti, ed altri alberi far le faſune, ſegare i fieni, roncare i ſeminanti, raccogliere i frutti, accorrere al mantenimento degli argini & delle ſtrade publiche, ſoddisfare a vari oneri nelle città, con altre partite.* Adeundus eſt ipſe auctor tum c. 21. *della rigolata divotione*, tum c. 6. Apologiæ ſuæ contra Cardin. QUIRINI, ubi ſe maxime pauperum advocatum præſtat, ut eorum gratia ſtuduerit numerum feſtorum dimi-

(*a*) Racolt. p. 195.

minuendum; dum in contraria opinione versatus Card. QUIRINI munificentia in pauperes sua in diœcesi id præstitit, quod non facile ubique ab omnibus pastoribus præstaretur: id quod ipsum ad pauperes tantum sublevandos facit, non aliis omnibus necessitatibus tum publicis cum privatis, ac variis incommodis medetur.

Objectiones contra diminutionem festorum, ac primo pium usum ob perversitatem abutentium non esse abrogandum.

VI. Non desunt tamen patronis multorum festorum & feriarum, quibus causam suam statuminent. Ajunt *1mo* æquum haud esse, ut magis attendatur malus usus improborum, quam bonus usus piorum in festis peragendis, nec expedire, rem sanctam & laudabilem ob abusus aboleri, sed potius servato ritu sacro abusum tollendum. *2do.* Scandala oriri inter homines simplices & plebejos, qui existiment hæreticorum errorem induci, aut ei saltem faveri: imo ipsos hæreticos hinc conjecturos in dogmate de festorum sanctitate, & cultu Sanctorum ad suam opinionem Catholicos defecisse. Ac *3tio* demum, quod devotio in DEUM ac Sanctos exercitiaque pietatis, ac imprimis sacræ instructionis minuantur, & si quæ alia leviora sunt, & facile propulsantur. Quod primum attinet, cum malus die-

rum

rum festorum usus fere communis sit, atque ubique obtineat, in re, quæ plenissime ecclesiasticorum superiorum subest arbitrio, utique sapienter excessus rescinduntur: atqui hoc in festorum multitudine usuvenit: primis ecclesiæ sæculis, ubi purissimi, sanctissimique fidelium mores extiterunt, pauci fuerunt festi dies, imo primis in sæculis multa quidem de conventibus, synaxibusque ecclesiasticis leguntur, vix aliquid de cessatione a labore, residuo tempore, perhibetur. Quis igitur non ultro det, sine pietatis, religionisque dispendio, non festorum celebrationem, sed excessum, ac nimiam copiam eorum recte tolli? Cum supra jam plures enumeraverim pias, & religiosas praxes ad substantiam Christianismi nihil attinentes prorsus sublatas, quod passim abuterentur illis homines. Potuit ecclesia ob bonum usum subinde nova festa instituere, quidni spe sua frustrata, valebit ob enormes abusus abrogare, sicque offendiculum e medio tollere, cum de rei agatur modo solummodo, qui pro diversis circumstantiis mutationem non solum admittit, sed etiam flagitat: aliud foret, si de re a Christo instituta ageretur, aut res aliqua fidei,

mo-

morum, ſalutisque noſtræ periculo exponeretur, aut negligeretur. Sic in Sacramentis, licet multi indigne, & ſacrilege illis utantur, idcirco nihil immutari poteſt; recte tamen ecclesia impuros & indignos ab illis arcet: atque etiam ob corporem, minus aptam plurium animi præparationem nimiam Sacramentorum frequentiam reſtringit, quod idem multo majore jure in feſtorum ordinatione facit; ita, ut quod fidei, religionisque intereſt, integrum, ſartum, rectumque permaneat, cum plena libertas cultus divini & Sanctorum relinquatur. Quis enim prohibet, ei, cui pietas religioque ſuadet, illis diebus, quibus neceſſitas feriandi non amplius imponitur præcepto eccleſiaſtico, ſanctis rebus operam dare? aut etiam a labore manuum abſtinere? tollitur ergo per feſtorum abrogationem occaſio, ne per eorum profanationem homines peccati reos ſe faciant, occaſione, opera religionis, ac divini cultus ſuſcipiendi, non abrepta: uſus conceditur, abuſibus ne eccleſia locum dediſſe videatur, aut ſaltem eos diſſimulare cogatur, providetur. Hanc objectionem jam olim *Nicolaus* de Clemangis diluit: *Quod autem*, inquit, *ad poſtremum dicitur, non oportere propter quorumdam ſcandalum tolli feſtivitates, ſic-*

ut

ut propter ſcandalum Judæorum Chriſtus a prædicatione non deſtitit : non congruit ſimilitudo. Nulla enim data erat Judæis a Chriſto occaſio ſcandali, immo potius ædificationis : ſed illam ſua perverſitate gratis acceperant. Hic autem ex lubrica licentia lubricæ diſſolutionis maxima præbetur ſcandali materia. Teſte autem evangelio abſcindendum eſt, quod ſcandalizat, etiam ſi manus fuerit, aut pes, aut oculus; ſi enim væ homini illi, qui unum ex puſillis Chriſti ſcandalizat, quantum væ illis, qui omnes pæne indiſcrete puſillos cum majoribus ſcandalizant. Sed inſiſtunt, abuſus potius tollendos fuiſſe a feſtorum celebratione, feriarum debitam obſervationem curando, paſtoralis officii vigilantia. Utique nihil reliqui fecerunt paſtores, ut a nobis ſuperius eſt indicatum, quo fideles populos ad rectam feriarum obſervantiam revocarent, ſed nimis univerſalis eſt corruptio, nimis altas radices egit, quam ut evelli queat. Deinde pium eſt, feſtos dies agere : quis vero dicat, hanc pietatem tantam multitudinem requirere? Pium eſſet, continuo, ſingulisque diebus totum ſe cultui divino conſecrare, nullam rerum terrenarum curam ſuſcipere : cur ergo non omnes anni dies feriæ inſtituuntur? Non hoc a nobis poſtulat DEUS: res,

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MÜNCHEN

& commercia humana ſuum tempus ſibi vendicant: homo natus ad laborem, ad hoc damnatus, ut in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo. Nec labori, pia voluntate, atque pro eo, ut chriſtianum decet, intentus homo, DEO ſervitutis nullum penſum præſtat: dum contra de quolibet otioſo verbo, ergo multo magis de tempore irrecuperabili otioſe traducto, ſupremo judici rationem reddere aliquando quisque debebit. Ceſſatio ergo a labore, ſi non eo fine fiat, ut rebus divinis melius vacemus, a labe immunis non eſt: & ſi quandoque neceſſaria eſt remiſſio operis ad laſſas recuperandas vires, non DEO furandum eſt tempus: id eſt, feriis divino cultui ſanctificatis, dicatisque.

Altera objectio: ſimplices chriſtianos, & hæreticos ſcandalum ſumere, ac ſi error de ſanctitate feſtorum, & cultu ſanctorum foveatur.

VII. Quod adjicitur ſecundo loco, homines ſimplices inde in ſuſpicionem venire, hæreticorum de feſtis, & cultu Sanctorum errori faveri, nihil eſt: ſi enim homines ſimplices ſunt, & rerum harum ignari, quid ſtolidius eſſe poſſit, quam hos ſibi judicandi licentiam de legitimorum ſuperiorum ſtatutis arrogare? Diſcant illi, jubeanturque eccleſiam audire, integrumque eidem obſequium præſtare, quæ ſuperno divini Spiritus conſilio regitur, cujus inſtinctu

ctu & directione ſaluberrima ſtatuta edit: in hac vero re, quoniam penes epiſcopum arbitrium, & auctoritas eſt, ab eo accipere debent ſubditi, quidquid conſtituendum judicaverit; atque illud AUGUSTINI hic etiam locum habere debet conſilium, quod ille in haud abſimili cauſa de jejunio ſabbati, & aliorum dedit: *Si conſilio meo*, inquit (*a*), *libenter acquieſcis: epiſcopo tuo in hac re noli reſiſtere, & quod facit ipſe, ſine ullo ſcrupulo, vel diſceptatione ſectare.* Porro ſive homines ſimplices & ignari, ſive hæretici malitia obſtinati rentur, erroneæ opinioni de feſtorum ſanctitate, & cultu beatorum faveri, ſtultiſſime faciunt. Quid enim commune cum abrogatione quorumdam feſtorum, quibus laborandi licentia conceditur, ne homines otio ſanctitatem feſtorum profanent, cum doctrina hæreticorum, nullum diem altero eſſe ſanctiorem, aut Sanctos non licere coli? Imo qui ſapere volunt, contrarium potius inde elicient, nimirum eccleſiæ cordi eſſe veram feriarum ſanctitatem, quæ, ne lædatur, potius feriandi quandoque tollat neceſſitatem, ut ſic pauciores feſti ſanctius, religioſiusque

(*a*) S. AUG. Epiſt. 86. ad CASULAN. nunc 36. lege integram: multa egregia ad præſens argumentum invenies.

que habeantur. Idem de Sanctorum cultu judicium esto: piaculum censet ecclesia, obtentu cultus sacri otium profanum, aut etiam illicitum fieri, unde Sanctis potius injuria, quam reverentia exhibeatur. Deinde potius, ut recte episcopus Basileensis in epistola sua pastorali advertit, *Nutriuntur hæreticorum scandala, & in erroribus suis circa cultum Sanctorum magis confirmantur, quando dies festos ab ipsismet Romano-catholicæ fidei sectatoribus impune profanari, contemnique vident.* Igitur scandali occasio hæreticis abripitur, quando festorum excessus ideo sistitur, ut reliqui sanctius celebrentur; neque ideo cultus Sanctorum verus aliquid detrimenti patitur, cum is non in eo consistat, ut eorum festis diebus a labore cessetur.

Tertia objectio, quod devotio in DEUM ac sanctos &c. minuatur.

VIII. Tertia gravior apparet objectio, quæ cultum DEI concernit ac Sanctorum, frequentiam Sacramentorum ac catechismi christiani, & alia exercitia pietatis. Primum quidem, quod cultum spectat divinum, non is quovis die ac tempore prohibetur, sed tantum, ut labori manuum incumbere liceat, indulgetur; onus illud sublevatur, quod in novo testamento tanta copia festorum magis adstringebat, quam in veteri testa-

testamento: existimaturque quantumvis gloriæ DEO ac Sanctis accedere posse non laborando: *Quasi ludendo & tripudiando major detur DEO gloria, quam laborando,* ut loquitur Cardinalis *Scipio* MAFFEIUS (*a*) in epistola, quæ in hoc ipso argumento edita est in collectione aliorum scriptorum. Majoris momenti esset frequentia Sacramentorum & catechismi christiani, nisi per magis dignam sedulamque dierum dominicarum, & celebriorum festorum duplici commodo hoc totum posset resarciri damnum, ut nimirum minus profanarentur dies festivi, dum pauciores quidem, ut decet, sacris impenderentur exercitiis, frequentatione Sacramenti, catechismi christiani tum publica cum privata, ante & post meridiem: aut in semifestis, si relinquantur in minus solemnibus diebus ad consuetum saltem divini officii tempus. MURATORIUS dum in libro *della Divotione regolata* hanc unicam objectionem afferri posse asseruisset, Card. QUIRINUS in epistola ad Abbatem Principem Desertinensem octo alias attulit, quæ in laudata collectione scriptorum unacum responsionibus MURATORII videri possunt. 1. *Il disprezzo dell' autorita della santa Sede cioè di una bolla da chiamarsi*

(*a*) Racolt. p. 205.

ſuntuoſa, perche pubblicata da Urbano VIII. dopo eſame accuratiſſimo, & dopo raccolti i ſuffragi de' Cardinali, e dè theologi. 2. *L'incentivo, che da detta riforma riceverebbono i libertini, luſingatiſi, di veder ugualmente riformati altri precetti, ed in ſpezie quello del digiuno.* 3. *Il pericolo, anzi la ſicurezza, che appunto per la riforma delle feſte fra la ſettimana, foſſero per eſſere ſtrapazzate aſſai più di prima le Dominiche, e le altre feſte maggiori, che ſarebbono rimaſte nel loro eſſere.* 4. *Le diſpenſe, che con larga mano poſſono concederſi da' veſcovi, e con loro licenza da' parochi, e ſemplici confeſſori, per qualſiſia neceſſita; ma non al certo perpetue, come perpetui ſi vorrebbono rendere gl'indulti; quaſi che non abbia da eſſer poſſibile, che ceſſi giammaio la miſeria del paeſe, a la perverſita de' trasgreſſori delle feſte, che ſono i due capi, per i quali ſi otterebbono i detti indulti.* 5. *La morbidezza degli artiſti, che gli porta a diſtraerſi ben ſpeſſo ne' giorni feriali dal lavoro, o tardi comminciarlo & tropo preſto finirlo.* 6. *Il lamento ſolito de' medeſimi per il lavoro, che loro manca, & non mai loro ſovrabbonda; mentre tale ſovrabbondanza ſi trovera piu facilmente nè paeſi ricchi e di commercio florido, che nè riſtretti, e miſerabili.* 7. *Il riguardo di non turbare*

la

la plebe cristiana in materia di tanta delicatezza. 8. Il tripudio degl' inimici del nome cattolico nel vedere fin nelle diocesi d'Italia alterata quell' uniformita, che la S. Sede e sempre stata gloriosissima di conservare.

CAPUT IV.

De numero & modo abrogandarum feriarum.

I.

Quæstiones circa hanc rem a Bened. XIV. propositæ.

BENEDICTUS XIV. ad calcem dissertationis de festorum de præcepto imminutione aliqua circa præsentem materiam expendenda proposuit: „ Primum, utrum propter assiduas petitiones ad ullam festorum imminutionem deveniendum sit. Secundo, utrum, si imminutio facienda sit, aliqui festi dies, & quinam, ex indice URBANI VIII. sint tollendi. Tertio, si id fieri nequeat, utrum in diem dominicum referri possint celebritates Sanctorum, quæ per hebdomadam occurrunt. Quarto si id minime probetur, an possit admitti exposita methodus Patrum Tarraconensium, nempe ut per 17. festivos dies ecclesiæ præcepto satisfiat, si sacrum tantum audiatur, ac deinde vacandi operibus libertas conce-

„datur. Quinto, si ne id quidem op-
„portunum judicetur, utrum aliquos fe-
„stos dies simul conjungere magis expe-
„diat; ita ut sex dies profesti compa-
„rentur, atque septem aliis festis diebus
„de sacro audiendo dumtaxat, præce-
„ptum impingatur; additis tamen reli-
„quis omnibus, quæ supra memoravi-
„mus, cum de hac agendi ratione ser-
„mo habitus est. Postremo, quæcun-
„que tandem ex iis, quæ propositæ
„sunt, probetur methodus, utrum no-
„vam apostolicam constitutionem ede-
„re necesse sit: an . . . exspectandum
„sit ab aliis diœcesibus eamdem facul-
„tatem exposci." Quasdam ex his quæ-
stionibus, quæ ad nos spectant, adhuc
enodare interest. Ac quidem, quod ad
ipsam diminutionem festorum attinet,
videmus hic ab ecclesiæ pastoribus pe-
dedentim cum summa cautione ac mo-
deratione esse processum pro nimia fe-
storum multitudine. Quæ quidem quo-
ad nostram Germaniam in constitutio-
a ne Card. *Laurentii* Campegii (*a*) anno
1524. eadem sunt fixa, quæ hodieque
apud nos obtinent, addito tantum Conce-
ptionis B. M. S. Josephi recentiori con-
b suetudine. Idem numerus (*b*) in con-
cilio

(*a*) T. XIX. Conc. Ed. Ven. p. 1088.
(*b*) p. 1447.

cilio Trevirensi an. 1549. est servatus demto festo Innocentum, ejus loco S. Crucis constituto. Congruit is numerus fere decreto URBANI VIII. suis temporibus accommodato, quin ejus successoribus facultas sit demta pro rerum exigentia aliquid reformare, ut mirum sit Card. QUIRINUM hic potuisse tergiversari, ac ingeminare illud *Nihil innovetur, nisi quod traditum est;* quod si ad primas suas revocasset origines, potius sibi adversari deprehendisset regulam.

II. Quoniam tutissimum, securissimumque est, primævæ ecclesiæ vestigiis insistere; si hoc etiam in constituendo dierum festorum numero præstiterimus, aberrandi periculum nullum erit: quamvis ea non sint negligenda, quæ deinceps posterioribus temporibus aliquando comuni consilio, aut acceptatione ab ecclesiis sunt recepta. Quod exemplum primitivæ ecclesiæ attinet, duplicis generis festa occurrunt: alia quæ per traditionem ab apostolis propagata, uniformiter semper in omnibus ecclesiis sunt celebrata. Lubet hic repetere, quod initio statim ex S. AUGUSTINO retulimus. *Illa autem* inquit, *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem*

Festa quænam conservanda, & quæ abroganda.

toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis apostolis, vel a plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri. Sicuti est, quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria solennitate celebrantur. Hæc igitur aliaque inde a primis nascentis ecclesiæ temporibus constituta festa, immutabiliter, constanterque sunt retinenda. Ex usu, & consuetudine primæ ecclesiæ itidem habetur, quædam fuisse festa, non in omnibus ecclesiis celebrari solita, de quo more a nobis superius etiam ex antiquitate sunt allata testimonia: hocque potissimum obtinuit in sanctorum festis, quæ in illis tantum ecclesiis, & regionibus sunt suscepta, in quibus aut vitam transegerunt, mortui, sepultique sunt, aut aliud singularis cultus argumentum, & occasio adfuit. Hæc vulgo *devotionalia* festa vocantur, quæ utique sancte sunt conservanda; quod ut commodius fieret, semper obtinuit, ut episcopis integra esset auctoritas suæ diœceseos festa ordinandi, eorumque prudentiæ relinquitur, ne quid nimis, aut minus. Sunt porro festa successu temporis ac etiam posterioribus sæculis communi consensu,

ſu, & approbatione, introducta, exempli cauſa, B. Virginis, & apoſtolorum, feſtum omnium Sanctorum, feſtum SS. Corporis Chriſti. Hæc igitur, & ſimilia totius eccleſiæ feſta, aut ea etiamſi, quæ ob peculiares cauſas in ſingularibus eccleſiis aguntur, integerrime conſervanda ſunt. Reliqua vero pro temporum, locorumque varietate mutationem ferre, aut etim abolitionem, nemo dubiter. *Omnia talia*, verba ſunt S. AUGUSTINI, *quæ neque ſanctarum ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ eccleſiæ roborata ſunt; ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita, ut vix, aut omnino nunquam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſint; ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia DEI eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabiliòr ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus liberationis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumtionibus ſubjiciuntur.* De feſtis illis quæ vel a primæva eccleſiæ inſtitutione,

ne, vel a prioribus ſaltem eccleſiæ ſæculis ſervantur, diximus ſupra. Quæ ſunt ipſa ſacramenta ſeu myſteria redemtionis ſanctificationisque noſtræ, quibus ſucceſſu temporis nonulla ſunt addita, quæ eodem pertinent etiam ex feſtis B.M. V. veluti Aſſumtionis, Purificationis ſeu Præſentationis Chriſti Domini in templo, ac Annunciationis. Quibus adduntur etiam in conceſſis paſſim facultatibus præcipua B. M. V. feſta, Nativitatis, ac etiam Conceptionis, licet non adeo conſtanter. Uti quidem deſideratur in indulto archiepiſcopi FIRMANI, cum reliquis feſtis Sanctorum, niſi apoſtolorum PETRI & PAULI, & omnium Sanctorum, ſervata tamen feria ſecunda & tertia poſt Paſcha & Pentecoſten, quæ in aliis fere indultis deſiderantur, ac quidem in Viennenſi licet nullum aliud Sanctorum feſtum, niſi Sanctorum omnium, & apoſtolorum PETRI & PAULI aſſignetur cum tutelari eccleſiæ, ex bulla BENEDICTI XIV. data an. 1753. cum tamen in aliis indultis (juxta ac PP. concilii Tarraconenſis jam a BENED. XIII. an. 1727. petierant) ad eccleſias nonnullas Hiſpaniæ datis, præter feriam ſecundam poſt Paſcha, & Pentecoſten, ac etiam ſequentem diem natalis Domini S. STEPHANI nimirum, etiam

S.

S. JOANNIS Baptiſtæ & S. JACOBI Hiſpaniæ patroni cum tutelari loci adjungantur. Fuit inter methodos a BENED. XIV. (*a*) propoſitas in diſſert. de feſtorum de præcepto imminutione, quarta, quæ ita habet: *Ut eodem die celebrantur feſta SS. Petri & Pauli, SS. Philippi & Jacobi, & SS. Simonis & Judæ, ita, feſto S. Andreæ ad tertiam Junii dominicam relato, die* 24. *Auguſti una cum S. Bartholomæo S. Thomas, ac die* 21. *Septembris cum S. Matthæo S. Mathias conjungi poſſe; die vero* 26. *Decembris cum S. Joan. Evang. S. Jacobus ejus frater, Item die* 19. *Martii cum S. Joſepho S. Annæ & Joachim; die* 10. *Aug. cum S. Laurentio S. Stephanus; ita ut jejunia quarundam vigiliarum quibusdam comodis diebus reſarcirentur e.g. tribus diebus Rogationum, vel tribus vigiliis Circumciſionis, Epiphaniæ & Corporis Chriſti. Et ſane ſic reſtituerentur, quæ antiquioribus temporibus circa eadem tempora erant jejunia. Deprehenditur etiam in antiquiſſimis liturgiis cum feſto S. Joañis Ev. ſimul S. Jacobi, antequam plerorumq; aliorum apoſtolorum feſta peculiaria agerentur, ut jam memini etiam antiquiſſimis temporibus ſimul omnium apoſtolorum feſtum fuiſſe celebratum: quod, ut reſtauraretur, eſt Muratorii conſilium, aliis demtis apo-*

(*a*) N. 42.

apostolorum peculiaribus festis, excepto apostolorum Petri & Pauli, addito, præter principalia B. V. festo Joan. Baptistæ, & omnium Sanctorum. (*a*) Vid. etiam BENED. XIV. de Festorum de præcepto diminut. n. 43.

Festa ad pauciorem numerum redacta, ut tamen divina officia non omitterentur, atque reliquæ feriæ sanctius celebrentur.

III. Quando vero ecclesiæ pastores hoc secuti consilium, festa ad minorem numerum revocarunt, id tamen sedulo semper caverunt, ut non solum majore religione reliqua servarentur, sed etiam diebus, quibus feriandi præceptum remissum, nihil officio divino decederet, atque conventus sacri in ecclesiis non omitterentur. Fecerunt hoc item exemplo primitivæ ecclesiæ, quibus præter diem dominicam erant feriæ quartæ & sextæ per annum stationes: quotidianæ item per Quadragesimam & Quinquagesimam, post Pascha usque ad Pentecosten synaxes. De Pentecostes diebus jam supra TERTULLIANI, aliaque testimonia laudavimus. De Quadragesima luculenter hoc ex CHRYSOSTOMI sermonibus apparet, quorum multi diebus continua serie sibi succedentibus sunt habiti: inter quos homiliæ in Genesin, & sermones dicti ἀνδρίαντες Antiochiæ quadragesimalis jejunii tempore. Nec infrequen-

(*a*) Racolt. p. 203. 221.

quentes aliis anni temporibus, præsertim propter martyrum memorias, fidelium sacri conventus fuerunt. *Neque ad hæc* (martyrum templa) verba sunt THEODORETI (*a*), *nos semel, bisve, aut quinquis quotannis accedimus, sed frequentes conventus celebramus.* In homiliis S. CHRYSOSTOMI & AUGUSTINI sæpius mentio fit sermonis *heri, hesterno die &c.* habiti: unde clarescit, sæpius continuis diebus festa, & memorias martyrum habitas: atque PAMPHILUS in Apologia sua pro ORIGENE refert, quod ferme quotidie is ex tempore sermones ad populum habuerit; debent ergo conventus fuisse fidelium. S. CYPRIANI tempore quotidie Eucharistiam sumendi, cum liberum hoc persecutiones permiserunt, consuetudo notatur, eoque illa verba orationis dominicæ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: interpretatur. *Hunc panem*, inquit (*b*), *dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus, & quotidie Eucharistiam ad cibum salutis accipimus.* Sed hæc consuetudo non ubique viguit, tempore AUGUSTINI: *Alibi*

(*a*) Serm. VIII. de Martyr. Εἰς δὲ τούτους (σηκοὺς μαρτύρων) οὐχ ἅπαξ ἢ δίσγε τοῦ ἔτους ἢ πεντάκις φοιτῶμεν· ἀλλὰ πολλάκις μὲν πανηγύρεις ἐπιτελοῦμεν.

(*b*) CYPR. de Orat. Domin.

a *Alibi*, inquit (*a*), *nullus dies omittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico.* His primæ ecclesiæ exemplis insistentes episcopi, tantum abest, ut abrogatione dierum festorum mens sit, sacros fidelium cœtus, & conventus sistendi, ut multo magis majorem eorum petant frequentiam, & quotidie optent, omnes sacris interesse: solummodo his peractis libertatem a vacatione tribuunt, ut tempus otio illiberali, imo illicito dandi occasio præripiatur, atque pauciores integræ feriæ majore religione peragantur, totique, & integri divino cultui dicentur. Dudum consilium istud Cardinalibus *Petro* de ALLIACO, & CAJETANO placuit. Is enim opere suo Patribus Constantiensibus oblato de reformatione inter alia providendum cupit, *quod præterquam in diebus dominicis, & in majoribus festis, ab ecclesia institutis, liceret operari post au-*
b *ditum officium.* Alter (*b*) commentario in D. THOMAM consultum putat, aliter tempus festum decernere: *puta, quod usque ad meridiem tantum esset festum,* hancque testatur multorum esse sententiam. Imo ante hos omnes auctor operis

(*a*) AUG. Ep. 118.
(*b*) CAJET. 2. 2. quæst. 122. art. 4.

peris tripartiti tempore Concilii Lateranensis sub INNOCENTIO III. unice huc collimabat, *quod liceret operariis post auditum divinum officium ire ad opera sua.* Ad hunc modum plerique episcoporum festorum diminutionem instituerunt. Sic ritualia Metense, Remense, Rotomagense, Cabilonense, Bellovacense, Constantiense in Gallia, & alia. Ita etiam PP. concilii Tarraconensis ad BENEDICTUM XIII. perscripserunt: *Dummodo reliquis diebus de præcepto, audita missa, tuta conscientia fideles in hac provincia Tarraconensi demorantes laborare publice valeant.* Annuit BENEDICTUS XIII. idemque postea BENEDICTUS XIV. in indulto expressit. Concilium Trevirense, an. 1549. ut de Germania aliquid singillatim dicam, etiam multos dies festos eo redegit, *ut facto sacro cuique ad labores, aut negotia sua redire liceat.* Et jam antea in constitut. Card. CAMPEGII an. 1524. certis constitutis festis subditur: *In cæteris autem festivitatibus quacunque ratione vel institutis, vel receptis, & quæ sub præcepto celebrari debeant, permittimus, liberum cuique facimus, ut missa audita ad operas suas, quibus suam suorumque alimoniam quærere cogitur, redire possit.* Idem in indulto Viennensi an. 1753. statis diebus præscribitur. Ad hoc autem difficilius

adſtringuntur, qui duabus quandoque horis ab eccleſiis ſunt remoti. Ut ſint qui hoc etiam, ſub conſilio non ſub præcepto, injungendum putent. Ut interim, qui labore manuum haud vivunt, ac præcipue clerus eccleſiaſticus, divinum officium rite perſolvant illis diebus. Synodi Lexovienſis verbis nihil accommodatius in hanc rem eſſe poteſt. *Ne autem*, ait (*a*), *cultus divinus, quem augere cupimus, diminuatur, præfatis eccleſiarum parochialium rectoribus diſtricte præcipimus, ne miſſas, & alia divina ab antiquo illis diebus fieri ſolita omittere audeant, in omittentes animadverſuri. Cum nonnulla feſta ab obſervantia, & eccleſiæ præcepto revocaverimus, & abrogaverimus, eaque populari devotioni commiſerimus, id nos feciſſe omnes intelligant, tum ſupradictis cauſis, tum ut reliqua feſta, quæ ſub obſervantia, & præcepto remanſerunt, cum majore celebritate, veneratione, & devotione obſerventur.*

Alicubi feſti dies in Dominicam translati, quod quidam carpſerunt.

III. In Galliis ſatis frequens inſtitutus eſt uſus, ut dies alioquin feſti, præſertim apoſtolorum, in ſequentes dominicas transferantur, Caramuel in epiſt. ad quemdam Romanum præſulem, ut refertur a Bened. XIV. de feſtorum de præ-

(*a*) Collect. Conc. Rotom.

præcepto imminutione, ita scripsit: *Desiderarem omnes, & solos dies dominicas festos esse, & vix alios. Sed quid de Sanctorum cultu agendum? Edisseram. Conservarem quadragesimales dominicas; & per reliquas distribuerem apostolos, evangelistas & alios omnes Sanctos, quorum dies observamus.* Vehementer hoc THIERSIO & aliis displicuit, contendentibus profanari quodammodo diem dominicam DEO singulariter consecratam, si jungatur festo Domini festum hominis: fueruntque, qui idololatriæ genus quoddam hunc morem asseruerunt, quasi cultus creaturæ creatori æquaretur. Attamen more hodierno alias sæpissime per annum hoc usuvenit, ut Sanctorum memoriæ minus etiam solennes in dominicis agantur. Quod quidem non ita veteri Romano usu obtinuisse dicit Micrologus c. 62. ut BENEDICTUS XIV. notavit, statuit etiam cap. 61. Conc. Mogunt. an. 1549. Sanctorum celebritates in diem dominicam incidentes submovendas, quo Sanctorum omnium domino conservetur solennitas, exceptis Beatæ MARIÆ, apostolorum, & aliis summis festivitatibus. At hoc ad concursum tantum ejusmodi festorum pertinet, non eorsum, ut loco mota in dominicas transponantur festa Sanctorum,

quorum dies festi cum affixi diei aut martyrii, aut mortis sint, aut alias memorabili facta determinentur, hac translatione invertitur ordo; attamen fatendum est, antiquissimis temporibus, saltem in oriente, hoc non attentum fuisse. Certe canon concilii Laodiceni an. 360. aperte sancit, occurrentia quadragesimæ tempore festa omnia in Sabbatum, & Dominicam transferenda. Hic autem de hac re est canon 51. (*a*) *quod non oporteat in quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum commemoratio in diebus Sabbatorum, & Dominicorum fieri conveniat.*

Festa non omnia eodem modo agenda esse: ubi obiter de festis ex devotione.

IV. Jam olim etiam obtinuerunt quædam distinctiones, varietatesque in festis celebrandis, prout aut solemniores, aut minus solemnes erant feriæ; a synodo Metensi (*b*), alibique festa quædam *Manualia, seu brachiorum appellantur, in quibus videlicet ipsa prohibitio per totam diem ad ea dumtaxat opera, & negotia, quæ sine equis, & carrucis fieri possunt, se extendebat.* Præterquam quod dies festi

(*a*) T. I. Conc. Col. 1539-1740. Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ μαρτύρων γενέθλιον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων μνείαν ποιεῖν ἐν τοῖς σαββάτοις, καὶ κυριακαῖς.

(*b*) An. 1493.

festi judaica superstitione a christianis agi non deceat:

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas, & jura sinunt (*a*).

Sic fuerunt festa quædam, quæ cum agricultura, sola cessatione a tumultibus judiciariis actionibusque agebantur. Alia dicta sunt *Ex devotione*, sed non ea frequentia, & libera usurpatione, ut hoc obiter notem, cujusmodi adhuc plura passim celebrantur, quavis fere rustica communitate peculiares *Ex devotione* ferias etiam non exiguo numero agente: quod mihi minime sustinendum videtur, præsertim si tales dies sint, de quibus nullam devotionis singularis idoneam causam, & rationem reddere valent, potiusque culcitra pigritiæ existunt. Novi tanto numero quibusdam in locis festa aliquando accumulari, ut octo integros dies quandoque feriatos esse contingat, quos nescio, utrum non sæpe rectius gentilium recepto vocabulo ἀποφράδες, infaustos, inauspicatos, atros dixerim, quam festivos. Alia eorum festorum *Ex devotione* est ratio, quæ a legitimis superioribus recte statuerentur ex nimio festorum dierum numero, fidelibus populis ea feriandi relicta libertate.

(*a*) Virgil. Georg. I.

Episcoporum arbitrio aut restituendam debitam festorum sanctitatem, aut mutandam esse rationem, ac numerum festorum, prout ipsis visum fuerit.

V. Hi fere sunt modi, quibus hactenus plerique præsules in ordinandis festis sunt usi: non est tamen, quo minus plena libertate aliter institui queat; istic enim illa saluberrima S. AUGUSTINI (*a*) regula locum habet, *Ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur:* Quod si igitur ecclesiæ pastores ad exhortationem vitæ melioris multis in locis institutum cognoscant, ut quædam in festorum numero, aut celebrandi modo immutentur, non solum non improbent, sed etiam laudando, & imitando sectentur, nisi peculiares deprehendant rationes, in commissi sibi gregis statu, & indole, ob quam aut festorum nulla mutatio necessaria, aut ea aliquo singulari modo in aliis ecclesiis non usitato constituenda: neque in hac re necessitas incumbat vel ipsam ecclesiarum matrem Romanam sequendi, atque ad illius morem sese accommodandi. Integrum est hic illud AMBROSII (*b*) usurpare. *In omnibus*, inquit, *cupio sequi ecclesiam Romanam: sed tamen*

b

&

(*a*) Epist. II.
(*b*) Lib. III. de Sacram..

& nos homines ſenſum habemus: ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos exacte cuſtodimus. Sed illud probe notandum in AMBROSII verbis; *Quod alibi rectius ſervatur.* De hoc ergo conſtare debet: an rectius feſta more conſueto conſerventur: hoc autem non accidit, niſi feſtorum ſanctificatio, non obſtante feſtorum numero, congrua obtineat. In eo enim homines, quantavis auctoritate polleant, jus diſpenſandi nullum exercent, ut dies feſtivi non ſanctificentur: a DEO iſta lex eſt, imo ipſi naturæ, & rationi inſcripta. Aut igitur epiſcopi faciant, ut dies feſtivi, feſtivi DEOque dicati non ſint, aut curent rite ſanctificari. Neque Catholicus Novatorum fert errorem, feriam quietis cauſa inſtitui, *Sed ad vacandum DEO ſoli*, ut verbis utar concilii Colonienſis (*a*), *Ut dies illa tantum orationibus, hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus tranſigatur. Hoc enim eſt ſanctificare Sabbatum.* Et ſi aliquod quieti tempus neceſſarium, certi dies a magiſtratu honeſtæ relaxationi, viriumque reparationi deſtinentur, aut idem a patribusfamilias fiat, cujusmodi dies Germani *Blau Montag* vocant. Eccleſiaſticos autem ſuperiores dies DEO dicare poſſe, & ſinere eos otio conſe-

(*a*) 1536. cap. 9. T. XIX. Col. 1274. A.

crare credat Judæus APPELLA. *Notabilis error est*, verba sunt Rabbini *Manassis* Ben ISRAEL (*a*), *putare otii ergo Sabbatum institutum esse. Etenim cum otium mater sit omnium vitiorum, plus sane ex Sabbato mali, quam boni proveniet... unde disertim in Talmud Hierosolymitano dicitur, Sabbata, & dies festos Israelitis nonnisi ad meditandum in lege datos esse. Sabbatum, ut notat R. Josephus Sarfati, ad sanctificandum observari lex jubet: etiam Rabbi Moses, tradente in glossis suis R. Babie, exverbis*, Dies septimus Sabbatum est Domino DEO tuo, *colligit totum hunc diem cultui divino dedicandum, non autem epulis, aut colloquiis.* Ergone christiani vilius de feriis judicium ferant?

CAPUT V.

Quædam vetera monumenta partim ad illustrandam doctrinam a nobis propositam, partim ad illius æquitatem, atque cum antiqua praxi consensionem commonstrandam.

I.

Quædam adhuc tractanda ad confirmationem dictorum.

ALLaboravi equidem, quantum licuit, morem, quem in agendis festis suadere conatus sum, ex antiquitatis do-

(*a*) Manass. Concil. in Exod. qu. 35.

documentis afferere; uberiorem tamen messem huc distuli, ne nimia materiæ enasceretur confusio. Sunt etiam nonnulla capita, quæ temeritatis notam mihi inurere queant, præsertim ex illis, quæ de vario faciendarum in festis mutationum modo nunc primum exposui. Vitio exempli causa mihi verti possit, quod tantam varietatem in observatione dierum festivorum non solum quoad se consideratorum, verum etiam respectu diversarum ecclesiarum ac temporum ea celebrandi indulgeam: quod ferias civiles discretas ab ecclesiasticis in medium afferam: quod nihil religionis in vacatione a laboribus & operis collocem, diebus festis omnem lætitiæ sensum demam, nimium rigorem in observantia dierum festorum expetam, atque sub schemate pietatis aut religiositatis, exercitia religiosa ac pia diminuam. Tametsi vero existimem sparsim in contextu sermonis hæc a me depulisse, atque amolitum esse crimina: tamen singillatim volui dictorum meorum rationem ac firmamenta ex antiquæ ecclesiæ usu, & praxi breviter hic loci apponere: tum quæ hactenus dispersa in hanc rem prolata veluti in pugnum colligendo, tum etiam novis auctoritatum idonearum

argumentis quæquæ afferendo, constabiliendoque.

Festos dies olim non omnes eodem modo esse celebratos.

II. Ordiri lubet a diversa ratione, quæ in ipsa festorum celebratione conspicitur, qua in re sese multifarius usus pro varietate dierum solemnium exhibet. Jam superius a nobis ex TERTULLIANO, AMBROSIO, HIERONYMO, ac aliunde est commemoratum, quinquaginta a Paschate usque ad Pentecosten dies universos festivos & solemnes esse habitos: rationem etiam illius festivitatis, & modum prodidimus: nimirum in eo unice versatus est, ut civilibus legibus spectacula & comœdiæ, ecclesiasticis jejunia & geniculationes interdicerentur in officio divino. Lætitiæ cujusdam spiritualis gratia ob dominicam resurrectionem hæc ita instituta sunt, ut sicuti diebus dominicis per anni curriculum, *Quam nos* (christiani) χαρμοσύνης ἡμέραν ἄγομεν διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ, utor verbis PETRI *Alexandrini* (*a*), *lætitiæ diem agimus propter eum, qui in eo resurrexit.* Sic etiam in istis diebus quinquaginta *Per omnia*, quæ sunt CASSIANI (*b*) verba, *eandem in illis solemnitatem, quam die Dominica, custodimus, in*

a

b

(*a*) Can. XV.

(*b*) Coll. 21. c. 20.

in qua majores nostri nec jejunium agendum, nec genu esse flectendum ob reverentiam resurrectionis dominicæ tradiderunt. Alia dierum festorum agendorum differentia antiquitas nobis offert his ipsis festis paschalibus, duabus nimirum hebdomadis, altera ipsum Paschæ diem præeunte, altera subsequente, quarum illam πάσχα σταυρώσιμον, *Pascha Crucis*, altera πάσχα ἀναστάσιμον, *Pascha resurrectionis* dictam *Jo.* SUICERUS in Thesauro suo ecclesiastico observat. Jam antea imperatorias leges attulimus, quibus sancitum, ne his diebus quindecim actiones juridicæ instituerentur, qua ratione a CONSTANTINO ἄπρακτοι sint dicti. Allegavimus etiam Constitutionum apostolicarum locum, in quo servis otium his diebus statuitur. Sive autem hæc harum Constitutionum lex, quoad servorum otia communiter in ecclesiis obtinuerit, sive sola imperatoria de actionibus forensibus; duplex tamen discrimen festorum animadvertere licet, nimirum ejusmodi, in quibus actiones forenses cessarent, & in quibus solummodo servis vacatio indiceretur. Neque obscure auctor harum Constitutionum innuit, hoc otium potissimum eo fine concedendum, ut servi mysteria passionis & resurrectionis edocerentur ex concio-

cionibus, quæ quotidie hoc tempore, ut ex AUGUSTINI, CHRYSOSTOMI, aliorumque SS. Patrum operibus liquet, habebantur; sic enim habet (*a*): *Magna hebdomada tota, & ea, quæ illam sequitur, servi otientur: quia illa passionis est, hæc resurrectionis: & opus est doceri, quis sit, qui passus est, item quis sit, qui pati permisit, quique resuscitavit.* Deinde cessationem istam ab operibus ad solos servos pertinuisse, alio ex capite evidenter demonstratur. Pseudo iste CLEMENS quisquis est auctor Constitutionum similem legem nomine PETRI & PAULI sancit, quæ cultum Sabbati & Dominicæ attinet (*b*): *Servi operentur quinque diebus: Sabbato autem & Dominica vacent in ecclesia propter doctrinam pietatis.* Videtur hic parem venerationem Sabbato tribuere, quam diei Dominicæ; nisi in eam sententiam velis ista interpretari, tanquam omnis vacatio, ac

(*a*) Καὶ χρεία διδασκαλίας, τίς ὁ παθὼν, καὶ ἀναστὰς, ἢ τὶς ὁ συγχωρήσας, ἢ καὶ ἀναστήσας.

(*b*) Const. Apost. L. VIII. c. 33. Ἐγὼ Παῦλος, καὶ ἐγὼ Πέτρος ἀνατασσόμεθα· ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας· σάββατον δὲ, καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας.

ac otium eatenus tantum olim præceptum fuerit, quatenus eo ad DEO, divinisque rebus vacandum opus sit. Qua de re quidquid sit, constat, longe alio modo Sabbatum ac Dominicam ab illis etiam, qui pro observatione Sabbati stabant, esse celebratum: ut enim de legibus imperialibus taceam, quibus nihil de veneratione Sabbati statuitur, extat canon Laodicenus (*a*), a nobis alia jam occasione supra recitatus, quo claris verbis prohibentur christiani judaizare, & in Sabbato otiari; diem autem Dominicum præferentes otiari, si modo possint, ut christianos: atque etiam Ebionitæ hæretici damnati sunt, *quod Sabbatum secundum legem*, ut inquit THEODORETUS (*b*), *Judaicam observarent*, & *simul Dominicam christianorum more sanctificarent.*

a

b

III. Mentio de Sabbati observatione in aliud nos varietatis, quoad dies festos, genus abducit: cum enim in oriente costanter obtineret, ut Sabbatum illud saltem de festorum celebritate partici-

Ecclesiæ quæque diversa, prout pium erat, celebrabant festa.

(*a*) Conc. Laod. c. 29.

(*b*) De Fab. hæret. L. II. c. 1. Τὸ μὲν σάββατον κατὰ τὸν Ἰουδαίων τιμῶσι νόμον, τὴν δὲ κυριακὴν καθιεροῦσι παραπλησίως ἡμῶν.

ticiparet, quatenus in eo jejunium relaxaretur; in occidente varius tamen fuit ecclesiarum usus. *Hinc*, in hanc rem
a loquitur S. AUGUSTINUS (*a*), *exorta est ista in regia illa veste varietas, ut alii, sicut maxime populi orientis, propter requiem significandam, mallent relaxare jejunium: alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana, & nonnullæ Occidentis ecclesiæ.* ALBASPINÆUS in ea sententia est, nec ipsius Romanæ ecclesiæ eandem semper fuisse observantiam, sed initio Sabbatum celebritate coluisse. Ex S. AUGUSTINO constat, in ipsa Africa diversum morem hac in re fuisse; in eadem enim paulo ante citata epistola, *Contingit*, inquit, *maxime in Africa, ut una ecclesia, vel unius regionis ecclesiæ alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes.* Locum hic illud IRENÆI apud Eu-
b SEBIUM (*b*) habet: *Omnes pacem invicem retinemus, & jejuniorem diversitas consensionem fidei commendat.* Non ergo existimandum est, decori ecclesiastico aliquid deperire, si in istis ἀδιαφόροις quædam discrepantia contingat: *In una fide nihil*

(*a*) Epist. 86. ad CASUL. nunc 36.

(*b*) Lib. V. c. 24. Πάντες εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους; καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι.

nihil officit, quæ ſunt S. GREGORII (*a*) ad S. LEANDRUM verba, *Sanctæ eccleſiæ conſuetudo diverſa.* Nunquam ergo religioni ductum eſt, præcipue in feſtorum celebratione, diverſam ſectari conſuetudinem, cum præſertim uni eccleſiæ ſingularis ratio, & cauſa inſtituendi feſtum quoddam eſſe poſſit. Ut enim nihil dicam de illis feſtis, quæ prorſus ſingularia ſunt cuique eccleſiæ, dedicationis templi anniverſarius, dies, quem agendi jam inde a CONSTANTINO (quam primum nempe publice eccleſias erigendi, dedicandiq; poteſtas eſt facta) mos fuit. Solemnitatem porro annuam ordinationis epiſcoporum magna celebritate tranſactam, concurrentibus undique e vicinia epiſcopis, plurima antiqua ſuppetunt documenta; qua occaſione AUGUSTINUS ſermonem inſignem aliquando, ac lectu digniſſimum habuit: ac plures habentur S. LEONIS. Denique nota etiam, & uſitata veteribus erant feſta ſingularia in memoriam cujusdam inſignis beneficii e. g. victoriæ relatæ, aut liberationis a magno periculo divini Numinis benignitate factæ: cujusmodi γενέσια τȣ̃ σεισμȣ̃, *natalis terræ motus* apud Alexandrinos a SOZOMENO memoratur. De martyrum feſtis ad eorum ſepulchra potiſſimum cele-

(*a*) Epiſt. 41. nunc 43. lib. 1.

celebratis, atque etiam confessorum *illis* in locis solemni cultu, ubi aut vitam transegerunt, aut eorum sacra lipsana recondita, aut singularibus beneficiis, patratisque miraculis clari extiterunt, a nobis jam satis est dictum: quorum præcipuorum Sanctorum festivitas successu temporis ad reliquas ecclesias modo cum solemni feriatione, modo etiam sola in sacris memoria est translata: quamvis hodieque in hac re magnam varietatem advertere liceat.

Pro locorum & temporum varietate variis diebus dies festi celebrati.

IV. Accedimus opportune ad aliud in dierum festorum celebratione varietatis caput, ipsum tempus, ac diem, quo festum agendum sit. Qua in re sicut tempora, & loca inter se differunt, ita & pro temporis & locorum varietate varium morem videre licet. Objici ipso statim in limine queat Paschæ festum, quod canone Nicæno, aliorumque conciliorum, ad certum diem destinatum sit sub anathematis fulminatione; sed sciendum, peculiari id causa accidisse ob hæreticorum Quartodecimanorum errorem, qui Judaismum sapientes necessario Pascha cum Judæis celebrandum pertenderunt: haud aliter, quam illi, qui Sabbato jejunabant, id in Marcionitarum, & qui eo feriabantur,

tur, in Ebionitarum deteſtandum errorem faciebant: deinde agebatur hic de feſto a tota eccleſia inde ab apoſtolico ævo celebrato, quibus in feſtis major conformitas neceſſaria: quemadmodum in Baſilidianis hæreticis arguit CLEMENS *Alexandrinus*, quod Natalem Domini ad menſem Aprilem, aliisque, quod ad Majum eum rejiciant: quare etiam uſus ille orientalis eccleſiæ, quo per tria, quatuorve priora ſæcula Natalis Chriſti ſexto Januarii agebatur, abolitus eſt: quatenus nimirum principaliores ſolemnitates ſtato tempore, ac die ab omnibus celebrentur; idque etiam illis diebus, quibus aut myſteria patrata, aut eorum celebratio a primæva ætate conſueta erat. In cæteris feſtis non eadem cautio adhibita, libertate eccleſiis relicta, quo potiſſimum tempore ac die feſta celebrare alluberet. Sic ex commentario BALSAMONIS in nomocanonem PHOTII conſtat, Græcos dies apoſtolorum plerorumque alio die, quam Latinos celebrare. Quo ipſo etiam ex nomocanone (*a*) eluceſcit, Græcos diu uſum antiquum retinuiſſe, unicum diem omnibus apoſtolis conſecrandi: quam in rem in codice Tit. *de feriis* imperatoria lex exiſtit: nec longe is fortaſſe a vero aberrarit,

(*a*) PHOT. Nomoc. Tit. VII. c. 1.

rarit, qui huc etiam THEODOSII (*a*) legem traxerit de Paſchalibus diebus, *quo tempore & cõmemoratio apoſtolicæ paſſionis totius chriſtianitatis magiſtræ a cunctis jure celebratur:* cum in antiquis martyrologiis hoc feſtum ad primum diem Maji referatur teſte BARONIO. Hæc ad excuſationem valent illius conſilii, ut, ad numerum feriarum contrahendum, feſta in alios dies transferantur, quam prius celebrari conſueverunt; aut etiam in proximas Dominicas: quo conſilio honorem Sanctorum in feriando conſervatum iri voluerunt, interim molem nimiam feriarum diminuendo: haud ſecus, ac olim quadrageſimæ tempore omnes dies feſti Sanctorum ad diem Sabbati, & Dominicam in oriente translati ſunt, quod reliquis diebus memorias Sanctorum fieri non fuerit uſitatum. Nihil frequentius in antiquioribus liturgiis occurrit, quam ut duo uno die notentur feſta: id etiam jam priore eccleſiæ ætate in ſanctis Patribus notatur. Sic S. AUGUSTINUS ſerm. 262. de aſcenſ. Dom. *Hodiernum ergo diem Aſcenſionis ipſius celebramus: occurrit autem huic eccleſiæ alia vernacula ſolemnitas conditoris Baſilicæ hujus. Sancti Leontii hodie depoſitio eſt.*

V.

(*a*) Cod. Theod. L. XV. Tit. V. de Spect. L. V.

V. Sunt etiam quædam dicenda de distinctione feriarum civilium ab ecclesiasticis, quæ olim obtinuit. Feriæ civiles potissimum consistebant in cessatione a causis forensibus, actionibusque juridicis. Consuetudo ista a Romanis cœpta sub christianis etiam imperatoribus longo tempore perseveravit. In Digestis (*a*) extat lex: *Ne quis messium, vindemiarumq; tempore adversarium cogat ad judicium venire, quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt.* Duos autem integros menses hoc modo feriari solitos, ex codice Justinianeo elucescit: (*b*) *Omnes dies jubemus esse juridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit: æstivis fervoribus mitigandis, & autumno fructibus decerpendis:* unde patet, ferias etiam ad requiem laboris ob fervores æstivos destinatas fuisse: quamvis porro aliud genus feriarum, lætitiæ nimirum, & oblectationis causa viguisse ex contextu modo allegatæ legis Justinianeæ clarum sit: *Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus. His adjicimus natalitios dies urbium maximarum, Romæ & Constantinopolis: in quibus debent jura differri, quia &*

Olim præter ferias sacras, etiam civiles, & profanæ erant.

a

b

(*a*) Dig. l. II. Tit. 12. l. 1.
(*b*) Cod. Justin. l. III. Tit. 12. de feriis l. 7.

ab ipsis nata sunt. Sed istis diebus contigit, varios excessus fieri, in quos SS. Patres passim invehuntur, damnantque. Ad propositum nostrum sunt tantummodo prioris generis feriæ, præsertim illæ ad requiem laboris, quarum usum superius revocandum suasi, si forte diminutio feriarum ecclesiasticarum hominibus tenuibus servilisque conditionis, qui durioribus in laboribus suas operas pro mercede aliis locare solent, gravis sit futura: quibus si requies debetur, non eam DEO, dicatisque ei feriis suffurandam censeo.

Vacatio ab operibus in feriis præcipitur unice, ut divinis rebus libere vacemus.

VI. Otium namque diebus DEO Sanctisque festis eo fine instituitur, ut tempus ab aliis curis, ac negotiis vacuum, liberumque, divinis rebus tribuatur totum, integrumque. *Observemus* inquit CÆSARIUS Arelatensis (*a*), sermone inter S. AUGUSTINI opera, *diem Dominicam, & sanctificemus illam, sicut antiquis præceptum est de Sabbato docente legislatore: a vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Videamus, ne otium nostrum vanum sit: sed a vespera diei Sabbati usque ad vesperam diei Dominici sequestrati a rurali opere, & ab omni negotio, solidivino cultui vacemus.* Totæ ergo,

(*a*) T. X. op. S. AUG. hom. 251. de tempore.

go, & integræ feriæ ſpirituali otio, non otioſitate, ne quid pejus dicam, ſunt tranſigendæ; alias enim qua re putamus nos obſequium præſtare DEO, offenſionem illius incurremus, qui de omni verbo otioſo rationem a nobis repoſcet. Neque ullas leges eccleſiaſticas in tot conciliis, quæ de feſtorum celebratione agunt, invenies, quæ non idcirco vacationem ab opere jubeant, quatenus divinum miniſterium obiri queat. Ipſæ etiam imperatoriæ, aliæque poteſtatis ſæcularis leges, quando de feriis ſciſcunt, hoc ſedulo inculcant. Quare etiam eccleſia ſemper damnavit Phariſaicam, & præſertim Doſitheanorum inter Judæos ſuperſtitionem, qui ſolum otium, idque ſuperſtitioſum adeo in feriis ſectabantur, ut nec loco ſe movere Sabbato permittebant atteſtante ORIGENE: quique *Agebant*, teſte CYRILLO *Alex.* (*a*). *Sabbatis conſueta otia, verumtamen non penitus accurate: ſed negligenter omnino, atque deſidioſiſſime.* Quod ſi ergo otium feriarum a deſidia diverſum eſſe debet, atque Judaica ſuperſtitione liberum, ſacrum eſſe debet, ſacrisque rebus deditum. Quomodo ſci-

(*a*) In AMOS VI. 3. Ἐπετρίβεν τὰς ἐν σαββάτοις ἀργίας, πλὴν οὐκ ἠκριβωμένως, ἀτημελῶς δὲ πάμπαν καὶ ῥαθύμως κομιδῇ.

licet Act. II. 42. de primis fidelibus narratur: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Concil. Cpolit. III. c. 66. hanc regulam celebrandorum festorum præscribit: *Psalmis & hymnis & spiritualibus canticis in Christo gaudentes, festumque celebrantes, & divinarum scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis mysteriis jucunde & laude fruentes.*

Lætitia in diebus festis in operibus pietatis, ac gaudio spirituali non more Judæorum, & gentilium in conviviis, aliisque voluptatibus.

VII. Sic lætitia festis diebus tota sancta, pia & divina sit, oportet; ita, ut licitæ, & concessæ alias oblectationes his diebus sint veritæ. Ab ipsis imperatoribus legibus cautum hoc est: his enim diebus *Omni theatrorum*, ut sancit THEODOSIUS, (*a*) *atque circensium voluptate per universas urbes earundem populis denegata totæ christianorum, ac fidelium mentes DEI cultibus occupantur. Si qui etiam nunc vel Judæi impietatis amentia, vel stolidæ paganitatis errore, atque insania detinentur, aliud esse supplicationum noverint tempus, aliud voluptatis.* Egregie istic christianis modus, ac ratio præscribitur, qua ferias celebrare debeant, ne Judæorum, ac paganorum morem sectentur: de Judæis enim passim SS. Patres testantur, quam male feriatas ferias agant: jam in an-

(*a*). Cod. Lib. XV. de Spectac. Tit. V. l. 5.

antecedentibus quædam D. AUGUSTINI loca retuli. S. CHRYSOSTOMUS etiam, aliique non semel petulantiam festorum Judaicorum exagitant. *Judæi*, ait (*a*), quodam loco, *corporalium rerum curis liberati, non vacabant spiritualibus, sobrietati scilicet, modestiæ, & audiendis divinis sermonibus, sed contrarium potius faciebant, servientes ventri, indulgentes ebrietati, distenti cibis, deliciantes.* Hoc Judæis Spiritus sanctus sæpius in sacris scripturis exprobrat: præsertim apud AMOS Prophetam, in cujus caput sextum dum commentantur SS. Patres, hanc malam consuetudinem, ac depravationem in Judæis damnant. De Paganorum festis notius est, quam ut opus sit, aliquid in hanc rem effari, qua ratione festa sua transegerint, spectaculis non solum profanis, sed etiam turpibus, maxime nonnullis festis, quæ ad lasciviam dixeris instituta: ne quid de conviviis, comessationibus, aut superstitiosis lætitiæ, ac tripudii significationibus dicam. Imperatores hæc moderati sunt, & ad honestos

S. CHRYSOST. Hom. I. de LAZARO. Οἱ Ἰουδαῖοι τῶν βιωτικῶν ἀπαλλαγέντες πραγμάτων, τοῖς πνευματικοῖς ἐπροσέιχον, σωφροσύνῃ, καὶ ἐπιεικείᾳ, καὶ ἀκροάσει θείων λογίων· Ἀλλὰ τοναντίον ἐποίουν, γαστριζόμενοι, μεθύοντες, διαῤῥηγνύμενοι, τρυφῶντες.

limites revocarunt, ut ex codice THEODOSII constat titulo de paganis, ubi hanc legere est legem: *Ut profanos ritus jam salubri lege submovimus, ita festos conventus civium, & communem omnium lætitiam non patimur submoveri. Unde absque ulla superstitione damnabili exhibere populo voluptates secundum veterem consuetudinem: inire item festa convivia, si quando exigunt publica vota, decernimus.* Sed pie tamen præcautum, ne in ecclesiasticis festis ejusmodi publicæ delectationes in-
a stituerentur: sic enim a THEODOSIO (*a*) constitutum de spectaculis: *Ne ullus solis die populo spectandum præbeat, nec divinam venerationem confecta solemnitate confundat.* Hoc a JUSTINIANO etiam cau-
b tum, *Etsi*, inquit, (*b*), *in nostrum ortum, aut natalem celebranda solemnitas inciderit: tunc enim dilata sunt omnes solemnitates ejusmodi.* Quod vero a christianis convivia, præsertim in memoriis martyrum, fuerint celebrata, longe alio fine factum, nimirum ad pauperes reficien-
c dos: *Sobria*, verba sunt CONSTANTINI (*c*), *con-*

(*a*) Cod. Theod. l. XV. de Spectac. Tit. V. l. 2.
(*b*) Cod. Justin. l. III. tit. XII. de Feriis. l. 11.
(*c*) Orat. ad Sanctos c. 12. Σωφρονέστατα δὲ πολλῶν, καὶ τὰ συμπόσια πρὸς ἔλεον, καὶ ἀνάκτισιν τῶν δεομένων ποιούμενα, καὶ πρὸς βοήθειαν τῶν ἐκπεσόντων.

convivia celebrantur a multis, tum ad mendicorum, tum ad eorum, qui patria & bonis exciderunt, inopiam sublevandam. Fidelibus etiam hæ sacræ epulæ permissæ, ut hoc modo a profanis abducerentur. Sed in hæc convivia cum varii abusus irreperent, agente potissimum S. AUGUSTINO antiquata paulatim sunt, & prohibita. *Commessationes*, inquit S. AUGUSTINUS (*b*), *Et ebrietates ita concessæ, & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum martyrum non solum per dies solemnes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit, sed etiam quotidie celebrentur. Istæ in cœmiteriis ebrietates, & luxuriosa convivia, non solum honores martyrum a carnali, & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum. Verum*, utar verbis GREGORII (*c*)

(*a*) Epist. LXIV. ad AUREL. nunc 22.

(*b*) Orat. 38. in Theophaniam. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἕλλησι παρῶμεν, καὶ ἑλληνικοῖς πόμασι, καὶ πανηγύρεσιν· οἱ καὶ θεὸς ὀνομάζουσι κνίσσαις χαίροντας, καὶ ἀκολούθως τὸ θεῖον τῇ γαστρὶ θεραπεύουσι· πονηροὶ πονηρῶν δαιμόνων καὶ πλάσται καὶ μυσταγωγοὶ, καὶ μύσται τυγχάνοντες· ἡμεῖς δὲ, οἷς λόγος τὸ προσκυνούμενον, κἂν τι δέῃ τρυφᾶν, ἐν λόγῳ τρυφήσωμεν, καὶ θείῳ νόμῳ, καὶ διηγήμασι τοῖς τε ἄλλοις, καὶ ἐξ ὧν ἡ παροῦσα πανήγυρις.

Nazianzeni, *Hæc gentilibus, ac gentilitiis pompis, festisque relinquamus: qui etiam iis, quos sacrificiorum nidor oblectat, Deorum nomen tribuunt, apteque proinde divinum Numen ventre colunt, male utique malorum dæmonum & fictores, & sacerdotes, & cultores. At nos, a quibus verbum adoratum, si quid deliciis dandum est, in sermone deliciemur, atque in lege divina, & narrationibus, cum aliis, tum iis præsertim, quæ præsenti festo consentaneæ sunt.*

Abusus quidam a SS. Patribus in festorum diebus taxati.

VIII. Hi sunt abusus, quos modo enarravimus, qui pietatis ac solemnitatis specie invecti sunt. Pauciores fuisse olim, quos otium, atque ipsa a rebus gerendis vacatio generabat, inde liquet, quod parcius de his conquerantur SS. Patres. Equidem S. CHRYSOSTOMUS (*a*) quosdam notat, qui post sacros conventus tempus in popinis conterant. *Perpende*, ait, *quam sit ridiculum, post ejusmodi conventum, post vigilias, post sacra.*

(*a*) Hom. 59. de Martyr. T. V. Ἐννόησον ἡλίκος γέλως, μετὰ τοιαύτην σύνοδον, μετὰ παννυχίδας, μετὰ γραφῶν ἁγίων ἀκρόασιν, μετὰ μυστηρίων θείων κοινωνίαν, καὶ μετὰ πνευματικὴν χορηγίαν, ἄνδρα ἢ γυναῖκα ἐν καπηλείῳ φαίνεσθαι διημερεύοντα.

crarum auditionem scripturarum, post divinorum participationem mysteriorum, post spiritualem largitionem, virum, aut mulierem totos dies in popinio transigentes videri. BASILIUS (*a*) alterius generis abusus meminit, nundinarum, quæ tamen solummodo cibariorum, earumque rerum, usui quotidiano necessariorum fuisse videntur. *Verum enimvero neque nundinationes illæ*, inquit, *quæ in martyriis celebrari solent, convenire nobis putanda: neque enim ullam aliam ob causam adesse decet christianos in martyriis, aut istis contigua loca invisere, quam orandi causa.* Pio, sanctoque titulo nundinæ istæ institutæ sunt, ut nimirum fidelibus statim præsto essent, quibus ad victum ac agapen pauperum indigebant: nec tamen S. Pater ferendum putabat: eo quod res ipsa seu negotium cum sanctitate diei festi pugnaret.

IX. Sed est etiam aliquid dicendum de ipso modo otii sacri in feriis, hoc est, ministerio & officio divino, quod fidelibus peragendum incumbit. Hodie ma- Fideles semper consuevisse statis temporibus

(*a*) Regul. major, quæst. 40. Ἀλλ' οὐδὲ τὰς ἐν τοῖς μαρτυρίοις γινομένας ἀγοραστίας οἰκείας ἡμῖν ὁ λόγος δείκνυσιν. οὐ γὰρ ἄλλου τινὸς ἕνεκεν ἐν τοῖς μαρτυρίοις, ἢ ἐν τοῖς περὶ αὐτὰ τόποις φαίνεσθαι ἐπιβάλλει χριστιανοῖς ἢ προσευχῆς ἕνεκεν.

publicis divini officii partibus adesse.

major christianorum pars munere celebrandi festi perfunctos sese rentur, si missæ sacrificio adfuerint, ac si præter præceptum audiendæ missæ non aliud præterea esset sanctificandi ipsum diem festum: cum eæ precum horæ, quas canonicas vocamus, quæque hodie a solis clericis frequentantur, olim fidelibus communes fuerint: & licet eadem forma ab initio ecclesiæ non decurrerint, solemnes tamen conventus totius populi concursu semper sunt habiti diversis noctis, ac diei temporibus, in quibus psalmodia, lectio scripturarum, verbi divini prædicatio, oratio, & disciplinæ in pœnitentes administratio, eorumque absolutio, præsertim autem Eucharistiæ præsentibus fidelibus distributio, aliæque divini servitii partes longo tractu persolvebantur; quarum ratio apud auctores liturgicos, eosque, qui de ritibus, disciplina ecclesiastica scripserunt, videri potest: quam in amplissimam materiam excurrere non vacat: unicum ex auctore Constitutionum apostolicarum, qui nobis minimum praxin tertii, quartive sæculi exhibet, describam locum, ex quo patebit, horas hodie observari consuetas jam eo tempore observatas esse. *Precationes*, inquit (*a*), *facite mane*, &

(*a*) Constit. lib. VIII.

& tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque in gallicinio. Mane gratias agentes, quod Dominus abducta nocte, & inducto die illuminarit nos. Tertia hora: quoniam in ea Dominus sententiam damnationis excepit a Pilato. Sexta: quod in ea crucifixus est. Nona: quia cuncta crucifixo Domino commota sunt, dum horrent impiorum Judæorum temeritatem, nec ferre possunt contumeliam Domino illatam. Vespere: gratias agentes, quod nobis noctem dederit laborum diurnorum requietem. In Gallorum cantu: eoquod illa hora nuntiet adventum diei, ad facienda opera lucis. Si propter infideles impossibile est ad ecclesiam procedere: in domo aliqua congregationem facies, episcope: si neque in domo, neque in ecclesia congregatio potest agitari, unusquisque apud se psallat, legat, precetur: vel duo, aut tres simul: ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hunc in locum duo quædam necessario adnotanda sunt: Primum, etiam persecutionum tempore, ubi summum erat proditionis, ac amittendæ vitæ periculum, fideles non censuisse sese obligatione solutos coeundi ad divina officia: hinc factum, ut cum interdiu convenire nequissent, nocturnas, aut antelucanas congregationes fecerint. In quos con-

ven-

ventus, quidque in illis ageretur, diligentissime indagabant gentiles, ut vel ex PLINII ad TRAJANUM epistola constat. Etiam factum scimus, ut integra fidelium congregata concio a supervenientibus paganis, aut incensa, aut necata fuerit: unde illorum apud TERTULLIANUM (*a*) querimonia: *Quomodo colligemus, quomodo Dominica solemnia celebrabimus?* Audi TERTULLIANI responsum: *utique quomodo apostoli, fide, non pecunia tuti. Quæ fides si montem transferre potest, multo magis militem.* Idem in Apologia pericula, quibus objecti erant christiani, recenset. *Quotidie,* inquit, (*b*) *obsidemur, quotidie prodimur in ipsis plurimum cœtibus, & congregationibus nostris opprimimur.* Neque tamen (quod est alterum ad superiorem auctoris constitutionum locum notatu dignum) satis habebant privata diebus festis pietatis exercitia præstare, sed ad publicos conventus semper confluxerunt: Id quod ex ipsis constitutionibus apostolicis alio loco (*c*) proditur: *Die sabbati, & die qua Dominus resurrexit, hoc est, dominica studiosius ad ecclesiam ocurrite, ut laudibus prosequamini DEUM qui*

(*a*) De fuga. c. 14.
(*b*) TERTULL. Apol. c. 7.
(*c*) Constit. apost. l. II. c. 59.

qui condidit . . . qua enim expurgatione apud DEUM utetur, qui ad audiendam salutarem de resurrectione non convenit in die dominico? In quo & tres precationes stando peragimus ad memoriam illius, qui in triduo resurrexit, & in quo habentur lectio prophetarum, evangelii prædicatio, sacrificii oblatio, & sacri cibi donum. S. CHRYSOSTOMUS quodam in loco eos acriter reprehendit, qui diebus synaxum domi preces sese absolvere dictitabant, publicos non accedentes conventus: *Te homo*, inquit, (a) *decipis & magno in errore versaris. Nam etsi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut*

(a) S. Jo. Chrys. hom. III. de incomp. DEI natura. Ἀπατᾶς σεαυτὸν ἄνθρωπε· εὔξασθαι μὲν γὰρ ἐπὶ τῆς οἰκίας δυνατὸν, ὅτω δὲ εὔξασθαι, ὡς ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας, ἀδύνατον, ὅπου πατέρων πλῆθος τοσοῦτον, ὅπου βοὴ πρὸς τὸν θεὸν ὁμοθυμαδὸν ἀναπέμπεται· οὐχ οὕτως ἀκοὴ, κατὰ σαυτὸν τὸν δεσπότην παρακαλῶν, ὡς μετὰ τῶν ἀδελφῶν τῶν σῶν· ἐνταῦθα γὰρ ἐστί τι πλέον, οἷον ἡ ὁμόνοια, καὶ συμφωνία, καὶ τῆς ἀγάπης ὁ σύνδεσμος καὶ αἱ τῶν ἱερέων εὐχαὶ: διὰ γὰρ τοῦτο οἱ ἱερεῖς προεστήκασιν ἵνα καὶ αἱ τοῦ πλήθους εὐχαὶ ἀσθενέστεραι οὖσαι, τῶν δυνατωτέρων τούτων ἐπιλαβόμεναι, ὁμοῦ συναναλθωσιν αὐταῖς εἰς τὸν οὐρανόν.

ut domi tam bene ores, quam in ecclesia, ubi tot patres, ubi clamor felici societate excitus ad DEUM immortalem refertur. Non pariter exoras, quum solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Etenim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris, & charitatis, sacerdotum preces. Præsunt enim in eam rem sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cælum evehantur. Sed monitionibus solis non contenti antiqui, ut christianos ad publicos in ecclesiis provocarent conventus, anathematis etiam id egerunt, ut aut negligentes, aut contemnentes compellerentur: quam in rem concilium Gangrense non unum canonem posuit. *Si quis docet*, sonat canon quintus, (*a*) *Domum DEI esse contemnendam, & quæ fiunt in ea congregationes, sit anathema.* Sextus (*b*) adhuc magis appositus est ad præsens argumentum: *Si quis præter ecclesiam*

(*a*) Εἴ τις διδάσκοι, τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ εὐκαταφρόνητον εἶναι καὶ τὰς ἐν αὐτῷ συνάξεις, ἀνάθεμα ἔστω.

(*b*) Εἴ τις παρὰ τὴν ἐκκλησίαν ἰδίᾳ ἐκκλησιάζοι, καὶ καταφρονῶν τῆς ἐκκλησίας, τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐθέλοι πράττειν, μὴ συνόντος τοῦ πρεσβυτέρου κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἀνάθεμα ἔστω.

ſiam vult eccleſiam habere, & contemnens eccleſiam, vult ea, quæ ſunt eccleſiæ, agere, non conveniente presbytero de epiſcopi ſententia, ſit anathema.

X. Non ſolum autem adeſſe publicis conventibus jubebantur, verum etiam ſacram communionem participare. Concilium Illiberitanum canone 28. vetat, ne epiſcopi ab eo, qui non communicat, oblationem acciperent. Et canon ex apoſtolicis ſeptimus ſtatuit, cunctos fideles, qui in ſanctam DEI eccleſiam ingrediuntur & ſacras ſcripturas audiunt, non autem perſeverant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut in eccleſiam inducentes confuſionem, ſegregari oportere. Illud vero probe notandum, non ſolis diebus feſtis coactos fuiſſe conventus, ut jam obſervavimus: *Namque alii*, inquit S. AUGUSTINUS (*a*) *quotidie communicant corpori, & ſanguini dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi ſabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico.* In eccleſiis Africanis aliquibus quotidie Euchariſtiam celebratam, in aliis quatuor ſtationum diebus, præter occurrentes martyrum memorias, ſupra jam ex CYPRIANO

Synaxum, & conventuum eccleſiaſticorum frequentia etiam diebus non feſtis celebranda.

(*a*) Epiſt. 118. c. 2. nunc 54.

NO, & TERTULLIANO notavimus. In Romana, & Hispanica ecclesia quotidie communicandi morem viguisse HIERO-
a NYMUS (*a*) refert epistola ad PAMACHIUM, a quo de hoc ritu quæsitus, an bonus, retinendusque sit: cui ille respondet, *Traditiones ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita observandas, ut a majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti.*
b S. BASILIUS (*b*) etsi alicubi dicat, apud suam ecclesiam usitatum esse τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα, quater per hebdomadam communicare, Dominica nimirum, feria quarta, Parasceve, & Sabbato: ibidem tamen bonum & u-
c tile dicit (*c*) fideles singulis diebus communicare, sanctique corporis, & sanguinis Christi participes fieri. S. IGNATIUS Ephesios suos hortatur ad frequentem Eucharistiæ, ac divinæ laudis cele-
d brationem. *Date operam*, inquit (*d*) *ut crebrius congregemini ad celebrandam Eucharistiam DEI, & ad eam laudandum.*

Quo

(*a*) Epist. 50.
(*b*) Epist. 289. T. III.
(*c*) Id. ibid. Τὸ καθ' ἑκάστην ἡμέραν κοινωνεῖν, καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ καλὸν, καὶ ἐπωφελὲς.
(*d*) Σπουδάζετε πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν Θεοῦ καὶ εἰς δόξαν.

Quo in loco quidquid per Eucharistiam intelligatur, proposito nostro favet: qui frequentes populi christiani synaxes extollimus, ac comprobamus, quas veteres non festis solum, sed reliquis etiam diebus frequentabant communiter Eucharistiam participantes; id enim usu receptum, ut præter pœnitentes, aut alia gravi causa impeditos, omnes communionem acciperent. Accidit ergo olim, ut feriarum exiguo existente numero magna conventuum ecclesiasticorum frequentia, & sacræ Eucharistiæ crebra participatio obtineret: nunc contrarium cernere licet. Inter magnam feriarum frequentiam infrequens est communionis susceptio. Piaculum olim erat tribus Dominicis non communicasse, ut ex quodam canone concilii Laodiceni discimus: deinde sæculo sexto, ut ex concilio Agathensi (*a*) discimus, ter saltem in anno communio præcepta (quamvis adhuc pluribus in locis quotidiana synaxis ageretur) ita, ut *sæculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur.* Qui mos diu obtinuit in ecclesia: donec eousque charitas refriguerit, ut fideles vix ad semel in annum communicandum adigi potuerint.

(*a*) Conc. Agath. can. 18.

Epilogus ad festa rite celebranda.

XI. Feriæ ergo multiplicatæ sunt, scopo, ac fine feriarum neglecto, & deperdito, qui præcipuus in sacramentorum administratione est constitutus, Eucharistiæ celebratione animæ vices obtinente in sacris nostris christianis. Quod antiqui frequenter, imo quotidie agebant, nos negligimus, umbram Judaicam consectantes in feriis segne otium, simulacrum religionis oculis objicientes pro vera pietatis forma: gentilium superstitionibus in ecclesia Christi nonnunquam invectis. *Festum agamus ergo*, monita sunt S. GREGORII Nazianzeni (*a*), *non ut in publicis*

(*a*) Orat. 38. in Theophaniam: Τοιγαροῦν ἑορτάζωμεν, μὴ πανηγυρικῶς, ἀλλὰ θεϊκῶς; μὴ κοσμικῶς ἀλλ' ὑπερκοσμίως· μὴ τὰ ἡμέτερα, ἀλλὰ τὰ τοῦ ἡμετέρου, μᾶλλον δὲ τὰ τοῦ δεσπότου. Μὴ τὰ τῆς ἀσθενείας, ἀλλὰ τὰ τῆς ἰατρείας, μὴ τὰ τῆς πλάσεως, ἀλλὰ τὰ τῆς ἀναπλάσεως ἔσται δὲ τοῦτο πῶς; μὴ πρόθυρα στεφανώσωμεν μὴ χορεύς συστήσωμεθα, μὴ κοσμήσωμεν ἀγυιάς, μὴ ὀφθαλμὸν ἐστιάσωμεν, μὴ ἀκοὴν, καταυλήσωμεν, μὴ ὄσφρησιν ἐκθηλύνωμεν, μὴ γεῦσιν καταπορνεύσωμεν, μὴ ἁφῇ χαρισώμεθα ταῖς προχείροις εἰς κακὸν ὁδοῖς, καὶ εἰσόδοις τῆς ἁμαρτίας, μὴ ἐδῆτι μαλακιθῶμεν, ἀπαλῆτε, καὶ περιῤῥεύσῃ, καὶ ἧς τὸ κάλλιστον ἀχρηστία. μὴ λίθων διαυ-

licis festis fieri solet, sed divine, non mundane, sed supermundane; non nostra, sed nostri, vel, ut rectius loquar, Domini: non quæ infirmitatis sunt, sed quæ curationis, non quæ creationis, sed quæ recreationis celebremus. Id autem qua ratione consequemur? Nempe si nec domus vestibula coronis cingamus, nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum pascamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deliniamus, nec gustui lenocinemur, nec tactui gratificemur, promptis illis ad malum viis, & peccati januis, nec teneris, & circumfluentibus vestibus emolliantur, quorum, quod pulcherrimum est, nulli usui est, nec gemmarum splendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificiis nativam pulchritudinem ementientibus, atque adversus divinam imaginem excogitatis: nec commessationibus, & ebrietatibus, quibus cubilia, & impudicitias adjuncta esse scio, quandoquidem malorum magistrorum malæ

γείαις, μὴ χρυσῷ περιλάμψεσι, μὴ χρωμάτων σοφίσμασι ψευδομένων τὸ φυσικὸν κάλλος καὶ κατὰ τῆς εἰκόνος ἐξευρημένων· μὴ κώμοις καὶ μέθαις, οἷς κοίτας, καὶ ἀσελγείας οἶδα συνεζευγμένας, ἐπειδὰν κακῶν διδασκάλων κακὰ τὰ μαθήματα· μάλλον δὲ πονηρῶν σπερμάτων πονηρὰ τὰ γεώργια.

doctrinæ sunt, vel potius malorum seminum malæ segetes. Hæc aliaque, quæ ibidem S. Pater longa oratione accumulat, gentilibus usitata, a nostris festis arcenda sunt: non ut omnis externus decor, ac splendor ab illis absit, sed ut moderatus, honestus, piusque: nec in eo festivitatis tota ratio constituatur, sed in officiis religionis, exercitiis pietatis, frequentatione sacramentorum, celebratione mysteriorum, precum, & orationis continuatione, psalmodiæ, & sacrarum cantionum modulis, ac jubilo: maxime vero studio, & exercitatione virtutum, operum misericordiæ exhibitione. Unde olim leges etiam civiles, quando feriandi rationem constituerunt, opera magnæ charitatis, exempli causa, emancipationem, manumissionem permiserunt: Paschatis etiam solemnitate carceribus detentos, nisi ob exitialia reipublicæ crimina tenerentur, solverunt. Sic christiane aguntur feriæ: atque ista ad veram dierum festorum notionem unice spectant: qui aliam sibi ideam mente effingunt, Judaice, imo gentiliter sapiunt. Quod si tamen animum advertimus, quomodo hodie feriæ transigantur, deprehendemus totam fere feriarum sanctificationem auditione Sacri constitui, reliquum tem-

poris

poris quieti, otio, animi relaxationi, ludis transigi: imo vitia pleraque in festis plurimum grassari, luxum præsertim, & ebrietatem: apud sequiorem sexum comandi sese & ornandi ad irritandam libidinem studium: unde etiam frequentes promiscui sexus his potissimum diebus, die noctuque conventicula; apud viros compotationes popinis ubique repletis: quod quam graviter ferre debeat ecclesia, imo quam non ferre debeat, exprimam D. AUGUSTINI (a) verbis: *Qui se*, inquit, *in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari possunt, quum eos, etiamsi domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet? Sed aliud est, quod docemus, aliud quod sustinemus: aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur. Alia est disciplina christianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum.* Hæc igitur emendare præcipiuntur pastores dominici gregis, quod si in tanta feriarum copia id effectum ire desperant, eas ad pauciorem numerum redigere consultum est, quo minor sit DEI offensa, major vero ratio, meliorque occasio vere christianam statuendi dierum festorum celebrationem.

(a) Cont. FAUSTUM l. XX. c. 21

tionem. Etenim *Festi dies*, claudam sermonem meum verbis Synodi Constantiensis nostræ an. 1609. *Non ad otium & ingluviem, sed ad profectum nostrum spiritualem, ad celebrandas DEI, & Sanctorum laudes ab ecclesia sunt instituti, ut quia per totam fere hebdomadam negotiis, & operibus sæcularibus intenti sumus, saltem his diebus, mentem nostram ferventius ad DEUM elevemus, & salutis animarum nostrarum aliquam rationem habeamus.*



Digitized by Google

Gregor C. 24